# SARBIEVIUS Matthius Casimirus — LYRICORUM LIBRI

(5334 vers)

Le texte proposé ici a été établi à partir de l’édition sortie des presses de Georgius Wigand, à Leipzig, en 1840 (?).

## LYRICORUM LIBER I.

(1160 vers)

### AD URBANUM VIII, PONTIF. MAX.
### CUM INFESTAE THRACUM COPIAE PANNONIA EXCESSISSENT.

P1_1

Jam minae saevi cecidere belli ;
jam profanatis male pulsa terris
et Salus et Pax niveis revisit
        oppida bigis.
Jam Fides et Fas et amoena praeter
faustitas laeto volat arva curru ;
jam fluunt passim pretiosa largis
        saecula rivis.
Candidi soles veterisque venae
fontibus nati revocantur Anni ;
grandinat gemmis riguoque caelum
        depluit auro :
meque veraci cecinisse plectro
inter Octobres, tua festa, pompas,
prisca Saturni rediisse saecla,
        approbat orbis.
Aurei patrum niveique mores,
exsul et sera procul usque Thule
candor, et pulchro remeare Virtus

audet olympo.
Lactis et fusi per aprica mellis
garruli campos secuere rivi,
et superfuso tumuere plenae
nectare ripae.
Laetior vulgo seges inquietis
fluctuat culmis, titubantque frugum
uberes campi, nec avara sulcis
invidet aestas.
Pastor errantes comitatus haedos
provocat raucas calamo cicadas :
mugiunt colles et anhela fessis
silva juvencis.
Pace subsultant juga, pace rident
Tetricae rupes : leve separatos
otium colles amat et sequestri
gaudia pagi.
Te Ceres flavis redimita culmis,
magne pacati moderator orbis,
te suis aestas opulenta circum-
-fundit aristis.
Supplici myrtus tibi servit umbra,
serviunt lauri : tibi celsa longe
quercus assurgit, tremuloque pinus
vertice nutat.
Siderum praeses dominusque terrae,
lucida Romam speculatus arce,
regna tranquillet, cupidoque patrem
te velit orbi.
Laurus annosum tibi signet aevum :
Fata te norint, properentque Parcae
nescium carpi tibi destinatos
stamen in annos.
Quaeque formosos sedet inter ignes,
sedulam pro te miserata Romam,
Virgo, quam circum glomerantur albis
astra choreis,
curet effusas Latii querelas ;
virginum castas juvenumque voces
curet, et votis procerum reclinem ac-
-commodet aurem.

## II. AD AURELIUM LYCUM.

P1_2

Indignas, Lyce, naenias,
et maestum gemitu pectus, et hispidis
frontem nubibus expedi,
cum Sol non solito lumine riserit,
et Fortuna volubilis
fati difficilem jecerit aleam.
Quod vexant hodie Noti,
cras lambent hilares aequor Etesiae.
Maestum Sol hodie caput,
cras laetum roseo promet ab aequore.
Alterno redeunt choro
risus et gemitus, et madidis prope
sicci cum lacrimis joci.

Nascuntur mediis gaudia luctibus.
Sic fatis placitum : suis
tempestiva fluunt fata periculis.
Fessos duxit heri boves,
dat magnis hodie jura Quiritibus ;
et quae bobus ademerat,
imponit Gabiis et Curibus, juga.
Idem Phosphorus adspicit
magnum, quem tenuem viderat Hesperus.
Quod si seria ludicris
fortunae placeat texere, rusticus
hesternam repetet casam,
ridentis populi non humilis jocus ;
et, queis rexerat omnia,
findet laurigeris ligna securibus :
quod si defuerit salix,
fasces pauperibus subjiciet focis.

## III. AD URBANUM VII. PONT. MAX.

P1_3 Urbane, regum maxime, maxime,
Urbane, vatum, Pegaseus, tibi
Temo, volaturusque late
regna super populosque currus
jam dudum apud me est. Eripe te solo :
obliviosis eripe nubibus
nomenque laudesque. O deorum
concilio patrioque quondam
promisse caelo, te super inclita
terrarum et altas Acroceraunia
egressa nubes, te superni
colla super humerosque Pindi
attollere alte, non sine numine,
luctabor. Ibis, sub pedibus pigras
urbes relicturusque gentes,
attonitae novus hospes aurae,
hac unde vasti litora Nerei,
amnesque camposque et juga desuper
arcesque mirari, et natantes
Oceano numerare terras
coram licebit. Jam tibi barbarus
circum supinis collibus annuit,
Haemus, salutataque longe
attremit Acrocorinthus aula.
Ter pronus Othrys, ter trepidae latus
subsedit Ossae, ter Rhodope nives,
sacrasque submisere lauros
Aemathii capita alta Pindi,
sacerque Phoebo Cynthus et aviae
acuta Cirrhae. Laurigeris tibi
thyrsis coronatu Cithaeron,
et patula nemorosa pinu
Pangaea gaudent brachia frondium
longe tetendisse, et procul obvios
currus adorare, et volanti
ardua supposuisse terga.
Hinc ire pompas, hinc tibi praepetes

centum superbis ire curulibus,
Urbane, Musas, atque aperto
ire sines tua facta caelo.
Auditis ? An me ludit amabilis
imago pompae ? Jam videor pios
audire plausus, et frementes
caeruleum per inane turmas.
Hinc et tepenti vectus ab Africo
apum sonoro exercitus agmine
leni ter Urbanum susurro,
ter resonis fremuere pennis.
Ter vecta terris ac pelago super
respondit Echo : ter lituis procul,
sparsae ter Urbanum Camenae
Pindaricis cecinere plectris.
Audivit ingens pontus, et insulas
erexit omnes : ilicet Africae
plausere et Europes, et una
Americes Asiaeque regna.
Laetaeque tandem, currite, saecula,
dixere Musae : currite candidis,
Horae, quadrigis ; ite, magni
saecula deproperate, menses.
Dixere Musae : protinus aurea
risere longum saecula, saecula
auro laborata, et recuso
in pretium emicuere vultu.

## IV. AD CRISPUM LAEVINIUM. NE NIMIUM ADOLESCENTIAE FIDAT.

P1_4

Vive jucundae metuens juventae,
Crispe Laevini : fugiunt avarae
mensium lunae, nimiumque volvi
lubricus aether.
Tu licet multo pretiosus auro
gemmea vestem moderere zona,
et super collo Tyrias amicet
fibula lanas,
jure Phoenissis vaga penna cristis
stare labenti dubitat galero :
jure, quo fulges, timidum refigi
palluit aurum.
Quod tibi larga dedit hora dextra,
hora furaci rapiet sinistra,
more fallentis tenerum jocose
matris alumnum.
Mobiles rerum dubiique casus
regna mortalis tenuere vitae :
sedulus metae, properat fugacis
impetus aevi.
Tardius ponto volat Adriano,
quam ratem mersi pepulere remi.
Et repentinis animosa trudunt
carbasa ventis.
Omnibus mundi dominator horis
aptat urgendas per inane pennas :
pars adhuc nido latet, et futuros

crescit in annos.

## V. LAUDES URBANI VIII. PONT MAX.

P1_5

Nuper recepta bella super Tyro
pugnasque serum ludere distuli,
Urbane, nunc jurata lenem
increpuit tibi Musa buxum.
Per te reficto ferro adamantinum
offulsit auro saeculum, et undique
gazis coronatumque gemmis
purpureo revirescit aevo.
Quo feta quondam nectare flumina
ultroque septem balsama collibus
manare, vinoque et liquenti
melle vagos properare rivos,
et sponte sero vespere turgidas
ad septa narrant lanigerum pecus
mammas reportare, et comatum
Assyrio grave vellus auro.
Te Fas Piumque, et Justitiae comes,
utcumque sacrum laetus agis pedem,
candor coronat ; te fidelis
propositi studiosa Virtus.
Te pone flavo larga Ceres sinu,
rerumque plenis non sine cornibus
felix Amalthee citatis
rura subit populosque bigis.
At vis et ater luctus et aeneis
stipata centum bella furoribus,
curaeque pallentesque morbi et
foeda modis simulacra miris
cessere retro. Te duce faustitas
secura frugum rura perambulat,
tutaeque per vasti tumultus
Carpathii volitant carinae.
Te feriati cum pueris senes,
nec non reclusae eam nuribus canunt
regem puellae, sive reddit,
sive citum rapit hora solem.
At nos recurvo poplite per vias
Patrem colentes, ter niveam tibi
nimbum ligustri, ter rosarum
Puniceum jaciemus imbrem.

## VI. AD PRINCIPES EUROPAE. DE RECUPERANDO ORIENTIS IMPERIO.

P1_6

Nondum minaci cornua Bosporo
decussit audax pontus, et efferis
servire Neptunus Gelonis
turpe gemit, resonasque fluctu
plangente ripas Thraca rebellibus
immugit undis ; Aemathiam pudet
frenos momordisse, et Pelasgos
Odrysiis dare colla loris.
Maerent tenaci compede Cyclades

pigrae moveri ; maeret Achaica
Tethys, inaequalesque campi
perpetuo lacrimantur Hebro.
Semperne nigras Aethiopum domos,
vel, quae superbus praefluit oppida
Ganges, Abydenasque turres
supplicibus tremuisse pinnis,
formidolosam juverit Artacen ?
Seseque captum Bosporus omnibus
undis, Erythraeoque et alto
Ionio Arabioque, ploret ?
Vani futuri temporis augures
fecunda rerum saecula discimus :
si non retractamus fideli
tela manu, tacitoque gaudet
vagina ferro ; si clypei vacant,
hastaeque et arcus. Non animi placent
parci laborum, non magistrae
consilii, sine Marte, linguae.
Frustra Novembres dicimus ad focos
pugnata Rhaetis bella sub Alpibus ;
frustra renarramus Gelonum
versa retro retulisse signa :
si non et ipsi stringere Noricos
audemus enses, quos male barbara
non decoloravere terga,
sed Tyrio Latiale fuco
illevit aurum, non sine gemmeo
circumsonantis fulgure baltei, et
grato catenarum tumultu,
et sonitu phalerarum acuto.
Formosa fortes arma timent viros,
frangique nolent, seu profugus Scythes,
seu creber e campis agetur
Myrmidonum Dolopumque nimbus.
Quicumque suras et caput induet
auro, Quirites, exuet Italum ;
civisque Romanus negari
impavido patietur hosti.
Nec, qui capillum finget et aureum
solem refusis crinibus allinet,
dicemus Umbrum, qui frementes
Antiochi Annibalisque turmas
rursum efficaci diruat impetu,
Alpesque clausumque intrepida manu
perrumpat orbem. Sic citatis
saecula degenerare metis
sancit futuri temporis arbiter ;
certoque prudens ordine segreges
metatur annos. Nunc severis
artibus ingenioque pugnax
affulget aetas, nunc melior foro
gestit disertis fervere jurgiis.
Haec Thracas audacemque Bessum,
haec Cilicas pavidosque Seras
produxit aetas. Nos senio piger
effudit orbis, dedecus ultimum
Mundi, fatiscentis naturae

opprobrium. Male nata proles,
quidquid bonorum restitit (heu, nefas !)
morum, scelesta deterimus nota,
mentisque et excelsi latrones
ingenii, violenta fraudum
tormenta sanctis addere dotibus
laudamur ultro ; nec scelerum pudet :
virtusque clamatur sagacem
flagitio violare dextram.
Iras et enses vendimus, et manum,
hac, unde nummis aura refulserit :
sparsique tinnitus ad auri
sollicita vacat aure vulgus.
Et qua secundis jecit honoribus
bene ominatam mobilis aleam
Fortuna, mentitur caducae
plebis honos, positoque fallax
accumbit omnis poplite civitas,
perjura festo surgere cum joco,
cum pompa stipantum et dolosi
praeteriit breve fulgur auri.

VII. AD TELEPHUM.LYCUM.
FORTUNAE RERUMQUE HUMANARUM INCONSTANTIAM ACCUSAT.

P1_7

Eheu, Telephe, ludimur :
Fortunae volucri ludimur impetu.
Aeternum nihil est, sacro
quidquid lenta tulit materies sinu.
Statur casibus. Occidet,
quod surgit : sed adhuc surget, et occidet
ritu praecipitis pilae,
quae, cum pulsa cava rejicitur manu,
nunc leves secat Africos,
nunc terrae refugis absilit ictibus.
Vesper vespere truditur :
sed nunc deterior, nunc melior subit.
Anni nubibus insident,
incertis equitant lustra Favoniis,
caeco saecula turbine.
Haec, quam Pieria decipimus lyra,
juncto fulminis essedo,
eheu ! Quam celeres Hora quatit Notos ;
nec gratae strepitum lyrae,
nec curat miserae carmina tibiae,
et, quamquam canitur levis,
sese tota suis laudibus in (....) (vers lacuneux)
magnas interea rapit
urbesque et populos, et miserabili
reges subruit impetu :
et sceptri decus, et regna cadentium
permiscet cineri ducum,
auratasque trabes et penetralia,
et cives simul et super
eversis sepelit turribus oppida,
ac mundi procul arduas
stragesque et cumulos, ac procerum pyras

festa nube supervolat ;
stellarumque rotam et longa brevissimo
cursu saecula corripit.
Dum nobis taciti diffugiunt dies,
eheu ! Telephe, ludimur,
fatorum rapida ludimur orbita.
An nos fallimur ? An suam
rerum pulcher habet vultus imaginem ?
Et sunt, quae, Lyce, cernimus ?
An peccant fatuis lumina palpebris,
et mendax oculi vitrum ?
An longi trahitur fabula somnii ?

## VIII. SAECULI SOCORDIAM PERSEQUITUR.

P1_8

Aut nos avarae vendidimus Tyro,
aut usque Thulen misimus exsules
cultus avorum. Non honoris
praecipiti libet ire clivo :
non sceptra Pyrrhi, non Agamemnonis
leto pacisci ; non Alyattici
Veiente permutare saxo
uber Achaemeniumque Tigrim.
Nescit severo livida brachia
signare ferro, nescit idoneis
tiro reluctantem lupatis
frangere equum, metuitque torvum
tranare Tibrim, cum nivibus satur
exaestuanti frena licentiae
permisit, emovitque ripam
assiduae metuendus Urbi.
Quod si procacem fregit equus gradum
micatque nervis et genibus tremit :
at non Lupercales iisdem
nescius assimulare saltus,
et, cum peritum sistra citant pedem,
doctus choreae. Frangite barbita
nervosque, dementemque buxum
femineo prohibete cantu.
Auditis ? Istri litora personat
ferale cornu. Jam capita Alpium
magnaeque respondere montes
Ausoniae : novat arma Mavors,
urbesque tectis elicit. Ibimus ?
An nos Caleno mensa tenet mero,
cenaeque regnorum redemptae
divitiis populique censu ?
Quas cum recedens viderit Hesperus,
surgens easdem Phosphorus adspicit ;
et ridet adspecto renidens
Luna mero, radiosque tingit ;
dum nos Lyaeo regificis super
descripta mensis proelia pingimus,
fusoque metamur Falerno
moenia, diluimusque fossas.
Surgamus. Indo lutea Nereo
sublucet Eos ; jam radiantium

flatus quadrigarum et citatae
Oceanum pepulere plantae.
Surgamus. Omnes prima vocat dies
et Phoebus : at non noster ab Indiis
Phoebus, Quirites, nec Latino
orta dies famulatur orbi.
Totumne diris mane Ottomanidis
impendet aether ? Pro pudor ! Occidens
nobis fatigatusque tantum
Hesperium prope Phoebus axem
turpi Latinis vespere serviet ?
Surgamus. Oetam Gadibus et Paron
addamus, Auroramque nocti, et
Bactra Tago, Tiberique Gangem.

## IX. AD NIC. VEIERUM, PALATINI CULMENSIS FILIUM.

P1_9

Ibis, belligerae regna Poloniae
et gratae repetes limina patriae,
quae te voce diu, quae prece flagitat
passis obvia brachiis.
Ceu quem velivolis praepes Etesiis
navis divitibus distinet insulis
dilectum juvenem, quem modo barbara
auri corripuit fames,
Mater sollicito spectat ab aequore,
et lentum pelagi damnat Oriona,
Et ventos gemitu duplicat, et pigro
affundit lacrimas mari :
si fors, edomito fletibus Aeolo,
Indo sole niger filius advolet,
et longi memores exsilii notas
caris deleat osculis.
At tu nec studio mercis idoneus
infamisque lucri, nec sitiens opum,
quas septem geminis prodigus ostiis
aut Ganges vomit aut Tagus,
invises patrium limen, amantior
insignes animi quaerere copias,
et vi consilii promptus, et ubere
vena divitis ingeni.
Te rerum sapiens usus et imperi,
te felix operum spiritus addecet,
et vox se populo fundere largior
plenae flumine copiae.
Fortunae volucrem mitte licentiam :
hoc appone lucro, quod tuleris simul,
quo te cumque feres ; seu per inhospita
rauci litora Bospori
et captum nivea compede Nereum,
seu pacis dubios Thracas et asperum
Persen, seu refugum visere Concanum
legatus properaveris.
Virtutem, solidi pectoris hospitam,
idem portat equus, qui dominum : neque
aut campo melior pone perambulat,
aut mensae comes assidet.

Illam cana Fides, nudaque Veritas,
et ferrugineae plebe Pecuniae
circumfusus Honos, et sequitur prope
Albis Fama jugalibus.

X. LAUDES URBANI VIII. PONT. MAX.

P1_10 Non solus olim praepes Horatius
ibit biformis per liquidum aethera
vates, olorinisve late
cantibus, Aeoliove terras
temnet volatu : me quoque desides
tranare nimbos, me Zephyris super
impune pendere, et sereno
Calliope dedit ire caelo,
et qua licebit nubibus et sacrum
vulgare caelo carmen, eburneam
lyramque suspendens, tubamque
colla super, niveisque leves
plumis lacertos. Me nec inhospita
sistent oborti litora Nerei,
rupesve inaccessae ferarum, aut
verticibus scopulorum acutis
armata Tethys. Me juga Caucasi,
me canus Atlas, me mare barbarum,
lateque dejectis uterque
audiet Oceanus procellis.
Ut se quieto cuncta silentio
stravere late ! Pieriae simul
fontes Amymonae, et canoris
in numerum cecidere lymphis
doctum fluentis murmura Penei,
sacroque Nysae e vertice tympana,
lyraeque buxique et remixta
cum lituis citharisque plectra
fregere nubes. Hinc tibi Gloria
late per orbem differet aureum,
Urbane, nomen : qua corusco
concutitur Jovis aula curru,
septemque sese sideribus pigrum
evolvit aevum. Protinus ultimis
Afris coronatisque Serum
moenibus Oceanoque rubro
noscere magnus. Jam tibi tinnulus
fert sistra Nilus, jam Berecynthia
Curetes aera, jam frementes
rauca crepant Corybantes arma.
Te Vaticanis Maurus et Aethiops
affusus aris, te tepidi canunt
devexa mundi, te remotae
litora personuere Chrysae.
Magnusque late diceris arbiter
caelumque terrasque et maria et Syga
amnemque Cocyti severum, et
Elysiam cohibere Lethen.
Tibi (benignae si qua fides spei)
sternentur olim magnanimae ad pedes

gentesque regesque. O caduci
praesidium columenque mundi,
jam nunc labantis pondera saeculi, et
deproeliantum funera principum,
pronasque regnorum ruinas
consilioque humerisque siste.
Tardum sereni partibus aetheris
te sidus addas ; neu properes citus
mensis reclinari, et faventum
ambrosiae accubuisse divum.
Sero receptum Roma fleat patrem,
tuisque longum vivere moribus
possint Quirites, possit ingens
Curia purpureique patres.
Diuque gaudens et cupidus tibi
incumbat orbis : certus ames Remi
Urbemque prolemque, ac merenti
quamquam avidus tibi debet aether,
reposce divos praemia lentior :
paulumque differ sidera, dum Tagum,
dum Baetin undantemque bello
Eridanum Ligerimque places ;
dum fracta septem cornua montibus
submittat Hebrus ; dum tibi Thessalum
ducat catenatus tyrannum in
perniciem opprobriumque fastus.
Jam tum tropaeis et senio gravem
aurata stellarum ad Capitolia
longis revertentem triumphis
signiferae vehat axis aulae.
Quo, Musa, vatem, non memor Icari,
tollis relapsuram ? His potius gravem
depone ripis, et dolosas
deme humeris digitisque plumas :
Tibrimque propter ducere languidos
permitte somnos, et super ilice
lyramque pendentemque buxam
ambiguis fluitare ramis.

P1_11

## XI. AD STEPH. PACIUM,
## MAGNIDUCATUS LITHUANIAE SUPREMUM THESAURI PRAEFECTUM.

Non auro, neque tinnulis
pugnandum phaleris : et chlamydum sinus
et nodos et inutiles
gemmas belligeris demite brachiis.
Quid laevem galeam juvat
plumaram volucrem ferre superbiam ?
Cur sparsas agitat jubas,
et conus tremulis annuit Africis ?
Cur tectum pavidam caput
ementitur avem, cum leve sibilis
aurarum et Zephyri joco
furtum Mygdoniae proditur alitis ?
Jam grando chalybum imminet,
telorumque frequens aura volantium
imbelli galeae insonat :

jam Martis tonitru mugit, et obvium
Medi fulgur acinacis.
Quid prosunt phalerae ? Quid galeae jubar,
quid laetae Zephyris comae ?
Aut umbo clypei quod procul aemulis
lucem solibus invidet ?
Quid vultus nimium sedulus adspici ?
Quid pictus pharetrae timor ?
Aurum frenigera rejice dextera :
ferro res eget et manu,
et magnis animis. Haec tuleris tria ;
dicam Geryoni parem,
quem nec populifer proruat Hercules,
nec caelo nimius Mimas,
nec dura Idomeneus, aut Sthenelus manu.
Bellis adsit idonea
incomptae facies lege ferociae,
quam fuci decor abstinens,
lascivaeque carens forma proterviae,
et ferri memores genae,
hesternique notent vulnera proelii.
Cristae non facient virum,
non arguta suis colla coralliis.
Thoracas pavor et metus
dicuntur Siculis fingere malleis,
et primi scopulis super
procudisse vagis scuta Cydoniis.
Nos stultum tegimur caput,
et leto tenues objicimus moras.
At quos eruerit sibi,
directis oculos invida spiculis
mors affingere creditur.
Fatis mille loci, mille patent viae :
sed signat jaculis locum,
qui vultum subitis dimovet ictibus,
devotumque mori latus
objectu tremulae protegit aegidis.
Nudos bella pavent viros :
audentes animos ipsa volunt prope
declinare pericula.
Cum consanguineae ferrea Graeciae
Hector rumperet agmina,
torvis saepe genis turbidus obvios
fati terruit impetus.
Quos fortuna timet, vitat ; et acrium
differt proelia mentium ;
et mors saepe viris invidet auream
famae pandere semitam.
Quod si belligera cesseris orbita,
post te fata citaveris,
ostendesque neci, qua fugies, viam.

## XII. AD PRINCIPES IMPERII ROMANI.
## DE RECUPERANDIS GRAECIAE PROVINCIIS.

P1_12
At non supino semper in otio
perdemus aevum. Surgite, Dardani

cives, triumphatumque captis
imperium reparate Graiis.
Implete classes, tendite carbasa,
inferte remos : ite volentibus
fatis, Quirites, ite : ventis
vestra tument animisque vela.
Est, qui locantem bella pecuniam,
novisque rebus postulet utilem
nervum ? Quis erumpentis auri
fluxit ager potiore vena,
cuniculosi montibus Orici ?
Ferro, Quirites, si lubet, abditum
mercemur aurum. Qui vibrati
glandibus emeruisse plumbi
gazas potentum sciverit urbium,
hic magna parvo lucra paraverit
sumptu : nec exponetur aurum,
nec Tyriae Cypriaeve merces,
quas non cruentus Martis emat chalybs :
seu per reluctantum agmina Bistonum,
et per recedentes Gelonos
vulnifico pluit aura nimbo ;
seu fulminatis diruta molibus
castella densis bella tonitruis
emoliuntur, cum caduco
moenia concutientur igni,
capique versis turribus annuent
arces, et omnis copia, et objice
centum catenarum gementes
divitiae pedicisque ferri.
Jam paene gazis Bactra timent suis ;
jam dives Aule, jam Cythereiae
conchae Mycenaeique census,
et Tyros et Genoessa flavo
pallescit auro. Jam prope decolor
albet superbis Creta coralliis ;
Phthieque et interfusa Cypros
ditibus ingemuere ripis.
Est, quem comantum gratia montium,
aut floridorum tangit amoenior
vultus viretorum, vel uda
mobilibus Cynosura rivis ?
Hunc empta multo sanguine recreent
Tempe, vel acri Pelion aut Samos
asserta bello, vel virentis
silva Cragi, vel opaca leni
Pangaea quercu. Nec viridem Gnidon
altamque Dymen spreverit, aut retro
spissis coronatam salictis
Olenon umbriferamque Triccen,
Non lympha Cydni, non vitreas Meles,
lenisve puro Lydius agmine,
non mite crystallum Lycormae,
non gelidis Arasinus undis
desiderantem non bene lubrico
soletur amni, si modo bellica
e strage fumantes capillos,
et tepidus linat ora pulvis.

Est, qui supina certet amystide
obliviosum ducere Liberum ?
Hunc Lesbos, hunc vinosa Crete,
hunc Paphii rogat ora Cypri,
laxare ferrum. Nec Rhodos abnuit,
nec, non severi strenua Caecubi
Naxos, nec illaudata Trachin,
aut resides Amathuntis arces
nolent cruentis ictibus asseri ;
aut qui propinquis aethera rupibus
affectat Edon, aut maritus
vitiferis Aracynthus ulmis.
Est, cui supellex et vigil ignibus
risit caminus ? Cui pecorum placent
armenta ? Cui late reductus
hinnit ager, fluviique balant
cantu sonori blandius Orphei ?
Illum juvencis postulat hospita
Pleuros Cleonaeique colles,
et pecorum studiosa Throezen,
Caeaeque valles, vel Calydoniae
dumeta silvae, vel redeuntibus
saltata Gortyne capellis,
cum roseus tegit arva vesper.
Si quis virenti limina marmore,
saxoque postes et laquearia, et
fingat pavimentum, Caryston
et variam Salamina justis
reposcat armis. Huic Phrygium prope
baccata longis Attica collibus
descendet in tectum, et videndae
porticus adjicietur aulae.

## XIII.AD TARQUINIUM LAVINIUM.
## AEQUAM IN ADVERSIS AC BONIS MENTEM ESSE SERVANDAM.

P1_13
Non, si sol semel occidit,
non rubris iterum surget ab Indiis ?
Nec, si quos celeris rotae
sors non exiguo proruit impetu,
non lapsos iterum levet,
arguto docilis ludere cum joco ?
Ne spem projice, Tarquini :
cujus paene retro lambere pulverem
et vestigia diceris,
cum fortuna levem verterit orbitam,
effusam super et luto
fumantem poteris cernere purpuram.
Tunc et risibus abstine ;
neu turpi domino lumina paveris ;
neu calces nimium, memor,
fortunae geminam saepe jaci pilam.

## XIV. AD JUL. FLORUM.
## CURAM LYNCEI ADOLESCENTIS ILLI COMMENDAT.

P1_14
Nullus effrenae rabiem juventae

aestus Aetnaei superet camini,
nulla conceptos jaculantis ignes
        ira Vesevi.
Crescit infestis animosus ausis
ardor, et primae juvenile vitae
robur, adversum sibi, luctuosis
        dissidet armis.
Sic, ubi densis Aquilo procellis
bella montanis meditatur Euris,
et potens igni Notus, et sonorus
        imbribus aether :
hinc repentinos struit aura montes ;
inde bacchantum patiens procellarum
ingemit litus, resonumque saxis
        tunditur aequor.
Fervet hinc illinc inimica Tethys :
pacis incertus, dubiusque belli
fluctuat pontus, cui militares
        instruat undas.
Mollior laesi tamen ira ponti,
lenior motis Aquilo procellis,
puberum, Juli, quatiente caecas
        turbine mentes.
Hic, ubi pugnax equitavit Auster,
incitae remis volitant carinae,
quas leves aurae facilisque veli
        trudit Iapyx :
quae semel certo metuendus arcu
fixit aut recti timor aut cupido,
rara pacatis agitata sidunt
        pectora curis.
Fortius pugnes juvenum domando
spiritus, quam si juga feriatis
induas tauris, vel equina Poeno
        frena leoni.
Jure florentes moderaris annos
Lyncei ; duris merito lupatis
corripis frenum, spatiique parcum
        flectis ephebum.

XV. AD EQUITES POLONOS.
CUM LADISLAUS, POLONIAE PRINCEPS, FUSO OSMANO, TURCARUM IMPERATORE, VICTOREM EXERCITUM IN HIBERNA REDUCERET.

P1_15

Credetis ? Io, credite, posteri,
fractos pudendo Bistonas impetu
  cessisse, et infaustis redemptam
 funeribus pepigisse pacem.
Quis tunc recentes Odrysiis timor
affixit alas, cum refugas metu
  prae se Ladislaus phalangas
 fulmineis agitaret armis ?
Quantus Gelonis, quantus erat feris
sudor Corallis ! Cum prope decolor
  Ister verecundusque capta
 Bosporus erubuisset unda.
Cum versa Thracum parma trementibus

fronderet hastis, cum celer Artacen,
turresque Byzanti probrosis
Concanus assonuisset armis.
An nos repensam sanguine gloriam
frustra futuris emimus ? An suos
exempla diffingent nepotem
in proavos, similemque patri
gnatum reponent ? Quatenus (heu, pudor !)
Pejor nefastis progenies avis
succrevit, et damnosa pulchras
saecula diminuere vires.
Vel nos avitae stemmata gloriae,
currusque et enses, nuper et hosticis
direpta delubris tropaea,
Haemoniae monumenta pugnae,
uramus igni : neu pudeat, sacros
mentita vultus frangere marmora :
non aera, fumosasque patrum
effigies, memoresque laudum
Ceras profando mergere Vistula :
vel, si supinae taedet inertiae,
Martemque majorumque pugnas
egregiis iterare factis
juremus. O, quem gloria fervidis
urbesque terrasque et populos super
evexit alis, o caduci
grande decus columenque mundi,
pridem Geloni sobria sanguinis
rursum Polonis deripe postibus
et tela, princeps, et timenda
Edoniis refer arma signis.

## XVI. TEMPORUM IGNAVIAM REPREHENDIT.

P1_16
Mercuri, nam te citharae potentem
vivido Manes reparare cantu
furva Cocyti stupuere pressis
stagna fluentis :
tuque, Lesboos imitata nervos
Musa, Dircaeum modulare carmen,
quo Palatini revocetur Orco
turba Quirini.
Ite, pugnaces Priami nepotes,
pulcher Anchisae Venerisque sanguis :
ite, formosas Acherontis, ite,
linquite ripas.
Quid juvat, nigras habitare valles,
ferream leto simulante somnum ?
Quid juvat, subter sepelire magna
saecula terra ?
Te, Mari, torvi revocant Sicambri :
te pharetratae Nomadum catervae,
te Numantini, metuende, poscunt,
Scipio, campi.
Aereis rursum fluitare turmis
visa Carthago, peditumque nimbos
et Saguntinis Siculisque bellum af-

-fundere portis.
Surge : non audis strepitum ? Et sonorum
agmen ? Et tractas per humum catenas ?
Non vides, quantam novus, ecce, surgit
Poenus in hastam ?
Magna te poscunt Asiae sepulcra,
Magne Pompei. Tibi, Caesar, olim
Thraces et ferrum manicasque et ignem et
tela minantur.
Bactra jam motis tremuere castris,
Martio nubes feriente cornu :
jam minae tristes equitum et frementem hin-
-nitus equorum.
Surge : qua dormis, quatit acer urnam
ungula Medus : potes hoc sepulcro
esse secure piger, aut honestos
carpere somnos ?
Ite, felices iterate pugnas :
ite, Romani. Juvet, arma notis
postibus demi, solitoque frontem as -
-surgere cono.
Bella nos pictis simulamus armis,
splendide fortes, et inane pugnae
nomen, et docti vacuum duellis
ludere Martem.
Fortium cingi galeis avorum
(pro pudor !) seri fugimus nepotes !
Heu, peregrinis onerasse fortes
tempora gemmis !
Parva non magnam manus implet hastam :
defluunt grandes humeris pharetrae :
decidunt arcus, laterique iniquus
exprobrat ensis.
Prisca mutatae pudet arma dextrae :
patrius quondam male laxus haeret
filio thorax, nec avita norunt
tela nepotem.

## XVII. ANIMI LENITATE PRINCIPES MAXIME COMMENDARI.

P1_17

Non vivi paries vitri
crystallique fores, aut Mareoticis
aurum postibus illitum,
laudandum memori carmine Principem
clarabit ; neque barbaras
decidet tumulo Gloria laureas :
sed frons mitior adspici,
innubique nitens ore meridies,
at, qui sospitat omnia,
irati vacuus nube supercili,
primo gratior Hespero
formosus rosea vultus in Iride.
Regum vultus imagine
regnorum legitur. Pandite lumina, et
vultum pandite, Principes :
jam vultum, et populi lumina vidimus.
Irasci populum docet,

qui torvis nebulam nutibus addidit :
idem supplicii piger
maturis faciem risibus explicet,
caedesque et populi graves
iras et procerum proelia, et asperas
regum contuderit minas.
Vulgus bella fremat : te nihil attinet
foedo turbida nubilo
mutari pavidis ora coloribus.
Veris janitor aureus,
qui campis liquidi pascitur aetheris,
stellatis Aries comis,
picti rura poli frenat, et arbiter
mundi prata perambulat,
iraeque et placidi lenior imperi
ursis praesidet et lupis ;
demitque, et dominis cornibus annuit
torvis jura leonibus,
castigare vagos acer, et igneis
mundi cogere saepibus.
Vultur, degenerum parcior unguium,
albis parcit oloribus :
compescit volucrem Bellerophon equum :
nusquam monstra vagantia
Chiron Haemonia figit arundine.
Colludit Geminis Leo, et
Taurum supplicibus conciliat jubis.
Nusquam sidera mugiunt,
aut latrat Procyon, aut Libyco duplex
rugitu reboat polus.
Labuntur tacito summa silentio :
tranquillaeque tacent rotae,
dum currus vigilum volvitur ignium.
Tantum lanigerae facis
balatu resonat mundus amabili,
rixaque et strepitu vacat :
et se mundus amans, ipse sui prope
vivis lucet amoribus ;
naturaeque uterum et parturientia
zona sidera subligat :
hanc flexis Aries cornibus inchoat,
rerum nobile vinculum, et
conjux signiferi fibula baltei.

## XVIII. AD ELISABETHAM, CUM INTER DIVOS AB URBANO VIII. REFERRETUR.

P1_18
Diva, devexo dominata ponto,
cujus undosae meminere Gades,
cui Tagus servit, liquidoque rura
praefluit auro ;
pauperes olim coluisse sedes
laeta, nunc magnas habitare stellas,
inter et gyros, et euntis inter
sidera mundi,
dum tibi Medae pretiosa silvae
damna per Tuscas adolemus aras
thureo regem populique celes

crimina fumo.

## XIX. AD CAELESTEM ADSPIRAT PATRIAM.

P1_19
Urit me patriae decor :
urit conspicuis pervigil ignibus
stellati tholus aetheris,
Et lunae tenerum lumen, et aureis
fixae lampades atriis.
O noctis choreas, et teretem sequi
juratae thyasum faces !
O pulcher patriae vultus, et ignei
dulces excubiae poli !
Cur me, stelliferi luminis hospitem,
cur, heu ! cur nimium diu
caelo sepositum cernitis exsulem ?
Hic canum mihi caespitem,
hic albis tumulum sternite liliis,
fulgentis pueri domus.
Hic leti pedicas exuor, et meo
secernor cineri cinis.
Hic lenti spolium ponite corporis,
et quidquid superest mei :
immensum reliquus tollor in aethera.

## XX. AD PRINCIPES ITALIAE. DE RECUPERANDO ORIENTIS IMPERIO.

P1_20
Pulchro, Quirites, pulvere gaudeat
impubis aetas, et strepitum et minas
jam nunc, et audaces tumultus
de tenero meditetur ungui :
visoque primum sanguine gestiat
inter cadentum signa : neque eligat,
quo lassa post pugnam reclinet
colla toro, solidisque somnum
commendet armis : aut clypeo super
effusus, aut se caespitis explicet
per summa, non parcus juventae,
et decorum pretiosus emptor.
Hoc septus olim milite, Bistonum
vallata saxo diruit oppida
regnator Epiri, et timendus
Parrhasiae moderator orae.
Heu, quantus armis, quantus adest equis,
quantusque sudor depopulantibus
Pangaea Dacis ! cum refusi
ferrea diluvies Gradivi
tumultuosi turbine proelii
concussit Haemum : cum Rhodopen prope,
sacrisque Ladislaus armis
attonitum patefecit Hebrum,
et bellicosum Strymona vindice
turbavit hasta, qui calidas adhuc
strages Gelonorum, et natantum
scuta virum galeasque volvit.
Magnam illa terris intulerat metum,

praeceps aenas rumpere copias,
taboque fumantes et igni
ausa cohors operire campos.
Si non, honesti laeta periculi,
bellique metas rumpere pertinax,
egisset armorum cupido
non humiles iterare pugnas :
manes avorum quis bene prosperis
excuset armis ? Quae manus impigrum
leti Musurmannum paternis
immolet inferias sepulcris ;
quae nunc (pudendum !) illudere pervicax
persultat armentum : et miserabiles
delent peremptorum ruinas
hinnulei timidaeque damae ?
Eheu ! Cicatricum Hesperiam pudet,
et mollis oti, et turpis inertiae,
iraeque, quae procudit arma
immeritis inimica regnis.
Quisquamne tandem (dicite, posteri)
ulturus urbis nomen et imperi
affulget ensis ? Atque ab ullo
scuta tholo galeaeque pendent ?
An (quod vereri crediderim nefas)
futurus ensis Dardanios adhuc
proscindit agros, aut Latina
arva metit, viridesque silvis
frondent sagittae ? Non ego Romulam
damnabo pubem, veridicus sacri
vates Gradivi. Jam cruento
sparsa mari fluitare tela
videre, totis jam videor Thetin
pugnare remis ; jam Latiae procul
turmae, repercussaque circum
aera micant galeaeque lympha.
Jam plana Triton personat aequora
clangente cornu : jam video novas
late per Aegeum moveri
Cycladas, Aemoniamque longe
inauspicato sidere lugubrem
maerere lunam : jam profugae retro
cedunt tyrannorum phalanges,
paene metu glaciante pontum.

## XXI. AD URBANUM VIII. PONT. MAX.

P1_21
Pone surgentes super orbe curas,
magne pacati moderator orbis :
mitte, Threissas calida phalangas
fervere rixa.
Mugiant cano, sine, bella ponto,
cum procellosos struit aura montes,
cum gemunt cautes, refugaque Calpe
vapulat unda.
Regna Rhaeteis resonant triumphis,
rumor aurata volitans quadriga
grata demittit bene feriatis

omina terris.
Occidit justae reus hostis irae,
hostis hibernae dominator orae,
qua coronatis sinuantur altae
turribus Alpes ;
qua nivis late saturaeque flavent
imbrium valles : ubi mitigatus
sole vicinos jaculante montes
liquitur humor.
Ire captivo patiens fluento
Ister asserta famulatur unda :
corripit fluctus et utroque Rhenus
margine servit.
Te genu nixi didicere Medi ;
laxat intentum tibi Maurus arcum ;
te pavent Seres, humerisque Parthi
scuta reponunt.
Fingit effuso tibi nomen auro
Indus, arguta resonante lympha :
te sonant septem vaga fabulosi
ostia Nili.

## XXII. URBANI VIII, PONT. MAX. CARMINA.

P1_22

Quis temperatae flumine copiae
siticulosis influit auribus
facundus amnis, et sequacis
agmine luxuriatur undae ?
Rursumne torvum cantibus Aeacum
delenit Orpheus ? Quo duce Thraciae
aurita reptavere saxa, et
Aemoniae saliere rupes.
An Daedalei pectinis arbiter
vates amica Pierias lyra
triumphat aures, et disertos
eloquii reseravit amnes ?
Qualem pudicis Penea fontibus
admurmurantem Thessaliae juga
mirantur, aut praetervoluto
attonitus stupet Haemus Hebro :
qualemve puris Parthenium vadis
dignantur alto muta silentio
Pangaea, vel circumsonantem
Castaliis Helicona ripis
Parnassus audit, dum nova gaudia
jamjam futuri veris aventibus
enarrat agris, et virentem
exsilio remeare Majum.
O quis latinae fons opulentiae
exuberanti vividus impetu
bacchatur, et lymphata secum
corda rapax animosque volvit ?
Qui nunc profundo volvitur alveo
sententiarum, nunc gracili fluit
torrente linguae, nunc apertis
ingenii spatiatur arvis :
suique late pronus, et insolens

exire ripam, non tamen obvia
  captivus alga, nec tenaci
 ire piger per aprica limo :
sed clarus auro fertur, et Atticis
ludit smaragdis, non sine consono
  liquentis electri susurro, et
 murmure praetereuntis auri.
Non stagna Cirrhae, non ego Phocidos
desiderarim : te prope vitrea,
  Urbane, Dirce, te fluenta
 virginei comitantur antri :
olimque simplex collis et invius,
nunc hospitalis, te duce, Dardanae
  Parnassus immigravit aulae,
 et Latii rediere vates.
Magnusque tanto Pindarus aemulo
minor videri gaudet, et Appulae
  miratur haeredem Camenae
 Pegaseos vacuare fontes :
seu, dithyrambo liber, inutilem
verbis catenam demis et affluis
  impune ; seu rursum severo
 verba placet cohibere nodo.
Sed non profanae gloria laureae,
umbrata Graiis tempora frondibus
  accomit, at conchyliata
 pulcher honor redimit corona,
et dedicatam purpura laureae
furata frontem subrubet. Hactenus
  florete, vates : jam latino
 vester honos adolevit ostro.

## XXIII. AD LAEVINUM HIELIUM.
## LABORIS COMMENDATIO.

P1_23

Num quae purpureis fumet honoribus
formoso melior de grege victima,
quam cui solliciti vomeris aspero
    ussit colla labor jugo ?
Condit regna labor. Fabricio bene
findenti patriis jugera sarculis
frondent in mediis sceptra novalibus
    pulchrae messis adoreae.
Rastrisque et rigidis parce ligonibus :
uncum, lictor ait, rejice sarculum :
quae sevit Cererem, regna metet manus,
    glebae fraude superbior.
Jam nunc emeritos solve jugo boves,
jam nunc nobilium colla Quiritium
aequi flecte memor, parcus et abstinens
    Romani pater imperi.
Fortunae memores nunc, age, victimas
justo mitte jovi. Quae modo mugiit,
sacris pontificum digna securibus
    aras illinet hostia.
Numquam puniceis hispida crinibus,
Martis belligera pendula fraxino,

auri deciduis vestierat jubis
     Graium pellis Iasona ;
si non difficiles imperii boves
Egisset domina vertere dextera
ferratis Chalybum saucia dentibus
     Colchi litora Phasidis.
Quamquam fulmineo pectoris halitu
sorberent animosum agricolam boves,
et fumi fluvium et noctis inhospita
     circum nubila funderent :
Nec quidquam viridum e semine dentium
bellator jaculis campus inhorruit,
et late peperit castra virentibus
     cristatus galeis ager.
Quippe ad Thessalici fulgur acinacis
natali immoriens occubuit metu
tempestas peditum, et densa micantium
     hastarum interiit seges.

---------------------

# LYRICORUM LIBER II.

(1086 vers)

## I. AD FERDINANDUM II. CAES. AUGUST.
## CUM THRACUM COPIAE EXCESSISSENT E PANNONIAE FINIBUS.

P2_1

Quae regna, vel quae dissociabili
secreta tellus aequore, quae domus
  Eurique et Arctoi Bootae
 Caesarei sonitum triumphi
nescivit ? O qua rumor eburneis
gentesque et urbes praevehitur rotis,
  audite Caesar, te superbae
 Herculeas superasse laudes
flevere Thebae : te tumidus procul
formidolosi laudibus Herculis
  ploravit Hebrus : te frementes

Arcadiae gemuere valles,
non usitatae monstra proterviae
stravisse late : te Nemees jugo
dignatur Alcides, et Argis
et domita tibi cedit Ida.
Non ille, quamquam colla minantium
fumosque et ignes contudit anguium,
cristasque et immanes hiatus
fulmineo tremefecit ictu :
quamquam gelati marmora Nerei,
surdisque mutum litoribus mare
emensus, arcanae refregit
regna Stygis, pedicasque captis
injecit umbris immiserabilis
praedator Orci ; cum spolio prius
Taurique et insani leonis
Maenalias decorasset ornos :
non ille, quamquam transtulit aureo
scalpenda caelo proelia, quae procul
Memnonque et Aurorae rubentis
regna legant, mediisque Vesper
miretur astris : non tibi debitae,
Auguste Caesar, reddat adoreae
palmas, triumphalemque laurum et
populei diadema serti.
Te pronus ambit flumine supplici
Rhenusque et Albis ; te refluus sonat
Tibiscus, et late recepta
Danubius tibi servit unda.
Te bellicosus Thermodoontii
regnator Hebri, te sibi destinat
peltatus Eurotas, et asper
Argolicis Achelous hastis.
Te militaris moenia Daciae,
te Cimber horret ; te genibus minor
Brennus, repercussisque laetum
Vindelici crepuere parmis.
Te belluosi litora Bospori
multoque canum frigore Caspium ;
te Cydnus, et levis Scamandri,
te refugi pavet unda Xanthi.

II. AD PUBL. MEMMIUM.
VITAE HUMANAE BREVITATEM BENEFACTIS EXTENDENDAM ESSE.

P2_2

Quae tegit canas modo bruma valles,
sole vicinos jaculante montes
deteget rursum ; tibi cum nivosae
bruma senectae
in caput seris cecidit pruinis,
decidet numquam. Cita fugit aestas,
fugit autumnus ; fugient propinqui
tempora veris.
At tibi frigus capitique cani
semper haerebunt : neque multa nardus,
nec parum gratum repetita dement
serta colorem.

Una quem nobis dederat juventus,
una te nobis rapiet senectus ;
sed potes, Publi, geminare magna
saecula fama.
Quem sui raptum gemuere cives,
hic diu vixit. Sibi quisque famam
scribat haeredem : rapiunt avarae
cetera Lunae.

## III. AD TESTUDINEM SUAM.

P2_3
Sonora buxi filia sutilis,
pendebis alta, barbite, populo,
dum ridet aer, et supinas
sollicitat levis aura frondes.
Te sibilantis lenior halitus
perflabit Euri : me juvet interim
collum reclinasse, et virenti
sic temere jacuisse ripa.
Eheu ! serenum quae nebulae tegunt
repente caelum ! Quis sonus imbrium !
Surgamus. Heu, semper fugaci
gaudia praeteritura passu !

## IV. AD STANISL. SARBIEWSKI, FRATREM, EQU. POL.

P2_4
Si transacta retro saecula respicis,
si ventura vides : tristibus omnium
incumbunt tumulis nigra silentia, et
altae oblivio gloriae.
Frustra belligerum carmine suscitas,
Sarbievi, Sarabetem, et sibi conscios
manes esse vetas, qui bene barbaro
pridem in pulvere dormiunt.
Armorum studio clarus, avum nepos
ad vitam reducem splendidius dabis :
nos cantu dabimus, qui tacitos sacro
soles ducimus otio.
Multi magna loqui possumus : ardua
raros ausa vocant. Nobilium fluunt
infecunda ducum saecula nec bono
succrescit soboles patri.
Aetas si pariat quaelibet Herculem,
sit fecunda satis. Sed sua saepius
tellus monstra videt, Geryonem aut Libyn
Antaeum, aut validum Gygen.
Cessant omnia : nec praepete curritur
ad majora gradu. Cum potioribus
servant parva vicem. Deterior subit
pravis fama nepotibus.
Si se quisque tamen vincere gestiat,
olim aequabit avos. Tu modo fortibus
insta consiliis, et rude nobili
urge propositum manu.
Ipsa ad conspicuas nominis incliti
ducent fata fores ; qua labor arduam

emunire domum pugnat, et aureis
sudor praefluit arcibus.
Nunc seu Caesareo miles in agmine
scandis turrigerae moenia Mantuae ;
seu te per Ligures, sive per ultimam
raptat gloria Galliam :
jam nunc ad patriae bella Poloniae
magnam finge animam : jam doceat pius
pulchrae mortis amor laudibus aspera
commendare pericula.
Mox seu victa vocent Ismara, seu Getes ;
narratam patrio in pulvere gloriam
exercebis eques, nec trepidam sines
de te serpere fabulam.

## V. E REBUS HUMANIS EXCESSUS.

P2_5

Humana linquo : tollite praepetem,
nubesque ventique. Ut mihi devii
montes resedere ! Ut volanti
regna procul populosque vastus
subegit aer ! Jam radiantia
delubra divum, jam mihi regiae
turres recessere, et relictae in
exiguum tenuantur urbes :
totasque, qua se cumque ferunt vagae,
despecto gentes. O lacrimabilis
incerta fortunae ! O fluentum
principia interitusque rerum !
Hic ducta primis oppida moenibus
minantur in caelum : hic veteres ruunt
murique turresque : hic supinas
paene cinis sepelivit arces.
Hic mite caelum ; sed rapidae ruunt
in bella gentes : hic placida sedent
in pace ; sed late quietos
dira lues populatur agros.
Hic paene tellus tota micantibus
ardet sub armis : stant acies adhuc
pendente fatorum sub ictu,
et dubio furor haesitavit
in bella passu. Parte alia recens
jam mixta Mavors agmina mutuam
collisit in mortem, et cadentum
caede virum cumulisque latos
insternit agros. Hic Mareoticae
secura merces aequora navigant,
portusque certatim frequentes
centum operis populisque fervent.
Nec una Marti causa, nec unius
sunt arma moris. Bellat adulterae
ridentis e vultu voluptas,
inque Helena procus ardet orbis.
Hic verba bellis vindicat : hic canis,
heu, vile furtum ! Se mala comparant :
rarum sub exemplo superbit,
nec sceleris scelus instar omne est.

Eous illinc belligera latet
sub classe pontus ; jam Thetis aenea
mugire flammarum procella, et
attonitae trepidare cautes,
et ipsa circum litora percuti
majore fluctu. Sistite, barbari ;
ferroque neu simplex, et igni et
naufragio geminate fatum.
Parumne tellus in miseras patet
immensa mortes ? Hinc miserabili
quassata terrarum tumultu
stare pavent titubantque regna,
unaque tandem funditus obruunt
cives ruina. Stat tacitus cinis,
cui serus inscribat viator :
"Cum populo jacet hic et ipso
cum rege regnum." Quid memorem super-
-infusa totis aequora portubus
urbes inundare, et repenti
tecta deum sonuisse fluctu ?
Regumque turres et pelago casas
jamjam latentes ? Jam video procul
mercesque differri, et natantem
Oceano fluitare gazam.
Alterna rerum militat efficax
in damna mundus. Cladibus instruit
bellisque rixisque et ruinis
sanguineam Libitina scaenam ;
suprema donec stelligerum dies
claudat theatrum. Quid morer hactenus
viator aurarum, et, serenas
sole domos aditurus, usque
humana mirer ? Tollite praepetem
festina vatem, tollite, nubila,
qua solis et lunae labores
caeruleo vehit aethra campo.
Ludor ? Sequaces an subeunt latus
feruntque venti ? Jamque iterum mihi
et regna decrevere, et immensae
ante oculos periere gentes ;
suoque semper terra minor globo
jamjamque cerni difficilis suum
vanescit in punctum ? O refusum
Numinis oceanum ! O carentem
mortalitatis portubus insulam !
O clausa nullis marginibus freta !
Haurite anhelantem, et perenni
Sarbivium glomerate fluctu.

## VI. CATO POLITICUS.

P2_6

Usu se minui si sinerent opes,
tam nunc plura petam, quam teneo : sed heu !
Auri stulta fames ipsa sibi negat,
quidquid omnibus abstulit.
Laudo divitias, quas animus dedit,
quas versat facili consilium manu,

quae, cum perpetuum crescere gestiant,
numquam diminui dolent.
Rex aut Caesar erit, cui deus arbitra
seu quid sustulerit, seu dederit manu,
nulla parte sui major abiverit,
nulla parte sui minor.
At sors ingenio plebis inanibus
illudit studiis : nam varias sinu
cum dispersit opes, ridet inutili
vulgum fervere jurgio.
Quantum magna libet munera jecerit,
stulti diripiant : non ego mobiles
voto digner opes, quas aliquis meam
casus verterit in manum.
Quod si me meritis fascibus ambiunt,
ipsam fata domum, sed sine tristibus
intrent invidiis, ne volitent meae
circum limina regiae.
A virtute datis utar honoribus
tamquam deposito. Cum superi volent,
quae laetus tenui, laetus idoneo
tradam sceptra vicario.
Gratam cum populis egero fabulam,
seu claro nitidus murice, seu toga ;
e scaena monitus cedere, non meis
ultro vestibus exuar.
Et qui conspicuus tot populis heri
spectabar tacito non sine gaudio,
ridens e media plebe vicariam
cras spectabo tragoediam.

## VII. AD PUBLIUM MEMMIUM.

P2_7

Esset humanis aliquod levamen
cladibus, si res caderent eadem,
qua mora surgunt : sed humant repentes
alta ruinae.
Nil diu felix stetit : inquieta
urbium currunt hominumque fata ;
totque vix horis jacuere, surgunt
regna quot annis.
Casibus longam dedit ille tempus,
qui diem regnis satis eruendis
dixit : "Elato populos habent mo-
-menta sub ictu.
Parce, crudeles, moriture Publi,
impio divos onerare questu,
densa vicinis nimium vagari
funera tectis.
Quae tibi primum dedit hora nasci,
haec mori primum dedit. Ille longum
vixit, aeternum sibi qui merendo
vindicat aevum."

## VIII. AD ASTERIUM.

P2_8

At nos inani pascit imagine
fortuna rerum. Ludimur, Asteri,
umbris amicorum ; et doloso
verba simul placuere fuco,
res esse stulti credimus : at simul
sors infidelem corripuit rotam,
gaudent recedenti sodales
non eadem dare verba divae.
Plerumque falsis nominibus placent
humana. Rari pollicitis data
aequamus : et minor loquaci
religio solet esse voto.

## IX. AD DECIUM.

P2_9

An nos sola parit, Deci,
tellus ? An patrio degeneres polo
mentimur genus et domum,
quae nos assiduis circuit ignibus,
et torpere domestico
stellatam sobolem non sinit otio ?
At si semideum genus
non falsis canimur fabula vatibus
caelo ducere sanguinem ;
cur nostrae resides (heu, nimium diu !)
Indormimus inertiae ?
Natalique dies infodimus casae,
dum pulchri fuga temporis
nil cunctante senes praetereat rota ?
O quisquis volet impiam
noctem paciferi rumpere saeculi ;
primus Phasin et uberes
Colchos, et veteris moenia Thraciae
pulsis eripiat Getis.
Illum per populos garrula differet
bigis gloria candidis,
et seris recinet fama nepotibus.
At nos nobilium domi
laudum livor edet : quatenus (heu, nefas !)
Quod virtus erat, invidi,
Fortunae tenui nomine diximus.
Fatis omnia tradimus :
et quam certus emit consiliis labor,
stultae plebis in agmine
laudem casus habet. Nam simul abstitit
nostris gloria postibus,
obliquo refugam lumine figimus :
et laeti male, serias
laudes non hilari deterimus joco.
At tu, cui placitas manu
pulsat fama fores, excute te toro,
mensaeque et patriis focis :
et quacumque sequi jusserit, emica,
ducentemque praei : neque
praeter succiduis passibus ambula.

Mox hinc Caucason, hinc Athon
victor belligero corripies gradu.
Tunc quae maxima fluminum
seu cum sole sacris fontibus exeunt,
seu cum sole cadunt, nihil
indignata tui sceptra sub imperi
leni pace fluent : suum
volvent cuncta tuis in manibus diem.
Cur tunc ad patrios ego
cantem bella focos, segnis et immemor
sacrae transfuga gloriae ?
Cur non te potius, Graecia, barbarum
cur exuta jugum Rhodos,
visam non pavidis navita puppibus ?
Tam tunc carpere libero
Tempe laeta gradu, jam liceat sacrum
Haemi scandere verticem :
et nunc in vitrei margine Penei,
nunc ad saxa biverticis
Parnassi residem, Pindaricis juvet
rupes vincere cantibus,
et pacare rudi proelia barbito.
Jam tunc inclitus et sacer,
ignotisque procul gentibus audiar
magni carminis artifex.
Tum quae pessima praesentibus imminet,
absens ulterioribus
abrumpam spatiis invidiam ; neque
occultus patiar mori
exsul Pieriae civis adoreae.

X. HONESTO OTIO ADDICTUS SAECULI SUI VITIIS BELLUM INDICIT.

P2_10

Meo beatus, cetera vilibus
habere fatis et miserabili
permitto vulgo : quos secundo
per populos vehat axe rumor,
quem donet astris gloria, fortiter
ignarus : et quae lex sapientibus,
idem meas nescire, et idem
a populo didicisse laudes,
latere clauso certior ostio :
at ne malignis fama calumniis
me jactet arcanum probrosis
flagitium simulare tectis,
audax vel ipso vivere publicus
in sole civis. Non ego ludicrae
dixi sacramentum Minervae
innocuus sine caede miles :
sed bellicoso strenuus ardui
amore veri, crimina saeculi
fraudesque et indevota laudi
pectora desidiamque frango
ultore versu. Quem nimis asperum
exsuscitando nomina gentium
regem esse nolebant veterno,
esse tamen voluere vatem.

## XI. AD D. VIRGINEM MATREM.
## CUM ILLI TEMPLUM IOA. CAR. CHODKEVICIUS,
## SIGNA CONTRA OSMANUM, BYZANTINUM IMPERATOREM, MOTURUS, EXSTRUERET.

P2_11

Huc, o beatis saepta cohortibus
Regina mundi, sidereos, age,
molire passus : huc curuli
nube super Zephyroque praepes
descende, sacri conscia liminis :
qua dedicatis te Samogitia
dignatur aris, et patronae
turicremi famulantur ignes :
neu vota, Virgo, temne vocantium :
quamquam micantum regia siderum,
Romaeque Lauretique sedes
Dalmatico potior metallo :
quamquam nivosi civis Enipei
te non avaris ornet adoreis,
ditemque miretur superbis
Heniochus radiare tectis :
et qui supinis praecipitem rotis
solem reclives Americi vident,
et qui sub Eois renatum
suspiciunt remeare cunis.
Videtis ? An me ludit amabilis
imago divae ? Jam videor pios
audire plausus, et sonantes
caeruleum per inane currus,
tristesque fumos, et nebulae globum
late serenas rumpere copias,
auroque florentes et igni et
missilibus radiorum acutis :
spissaeque nimbum lucis, et igneas
flictu rotarum fervere semitas,
ventosque et obluctata longo
nubila dissiluisse sulco, et
effusa densis agmina desuper
errare gyris, non sine siderum
risu renidentisque caeli,
sole cavas jaculante nubes.
Auditis ? O quas praetereuntium
lyrasque cantusque audio nubium !
Io, triumphe ! Ter procellae,
ter liquidae crepuere flammae.
Io, triumphe ! Ter resonabilis
respondit Echo : ter Samogitiae
saltus supinataeque valles,
et trepidae sonuere silvae.
O ergo nostris praeses habebitur
Regina terris. Ite, recentibus
stipate donis, et precatu
indigetem celebrate divam.

## XII. AD FERDINANDUM II. CAES. AUGUST. DESCRIBIT PACIS COMMODA.

P2_12

Jam minax Albis domitusque late
Rhenus asserta famulatur unda :
jam fluunt pronis tibi regna, Ferdi-
-nande, tributis.
Turma, pugnaces populata Dacos,
hausit imbellem galeis Tibiscum,
fessa bellorum, pavidumque telis
saepiit Istrum.
Ille terrarum fragor, ille magnae
fulmen Europae, Scythici tremendus
arbiter ponti, piger obsoletis
abstinet armis.
Jam sacrae leges et amica legum
jura civiles cohibent tumultus,
et fides et fas et aperta laeto
gratia vultu,
Jura pacatis dominantur agris,
jura compescunt grave classicorum
murmur, et currus et hiulca rauci
fulmina belli.
Pax ubi clausas moderatur urbes,
illa vitatis operatur aris ;
illa vicinis studet aemulari
sidera templis :
quaque pubentes graditur per herbas,
hinc et hinc divam comitatus albo
messium fluctu Cerealis undat
Merges aristae.
Longus herbosis spatiatur arvis
ordo virtutum ; niveaeque juncta
faustitas Paci legit otiosis
lilia campis.
Ite, Rhaeteis sociae triumphis,
ite, delectos religate flores,
ite, virtutes : iterate nexis
serta tropaeis.
Te Ceres flavis redimita culmis,
magne pacati moderator orbis,
te Jovis quercus et Apollinaris
umbra corymbi,
te volunt lauri : tibi se Latini
arbor Alcidae probat, et supinis
annuit ramis, et amica circum
tempora serpit.
Quo velis crinem cohibere serto,
mitte cunctari : tibi colla circum,
Herculis ritu, fluat usitata
populus umbra.

## XIII. AD JULIUM ROSAM.
## INVITAT EUM AD SACRAM POESIN IN CREPUSCULO D. VIRGINIS MATRIS PERVIGILII DECANTANDAM.

P2_13

Quid muti trahimus diu
segnes excubias ? Suggere postibus

dereptum, Rosa, barbiton.
Nos arguta manu fila docebimus :
tu buxum digitis move,
et mutis animam suffice tibiis.
Nos cantabimus aureos
stellarum vigiles, sistere lubricam
mundi sollicitos fugam, et
palantum choreas ducere siderum :
tu rerum dominam canes,
et sparsam Zephyrorum arbitrio comam
nudis ludere brachiis,
et nimbos volucrum fundere crinium.
Addes et teretes pedum
suras non humilem lambere Cynthiam ;
et sutas chlamydum faces,
indutique togam solis amabili
emirabere fistula :
donec virgineis laudibus et suis
placatus resecet moras,
et currum madidis flectat ab Indiis.

## XIV. AD D. VIRGINEM MATREM.
## CUM ILLI DICATA NAVIA IN INDIAM SOLVERET.

P2_14

Diva, ventorum pelagique praeses,
quae laborantes super alta naves
summoves saxis, uteroque Nerei
eripis imo :
si tibi moti cadit ira ponti,
cum Thetis molles imitata somnos
sternitur late, bibulisque se re-
-clinat arenis :
mercium felix tua navis esto,
quae per undantes tibi laeta fluctus
floribus remos hilarique proram
fronde coronat.
Illa seu primos aditura Seras,
sive longinquas Orientis oras,
proferet late tua fabuloso
nomina mundo.

## XV. AD NARVIAM,
## CUJUS IN RIPA PUER ADMODUM PRIMUM CARMEN LYRICUM CECINERAT.

P2_15

Albis dormiit in rosis,
liliisque jacens et violis dies,
primae cui potui vigil
somnum Pieria rumpere barbito,
curae dum vacuus puer
formosi legerem litora Narviae.
Ex illo mihi posteri
florent sole dies : qui simul aureae
infregit radios lyrae,
jam nec scuta sonat, nec strepitum trucis
gradivi ; sed amabiles
ruris delicias : sive rubentia

udo rore rosaria,
seu molles violas, sive volubilem
leni flumine Viliam,
seu primo graciles vere Favonios.
At tu, Narvia, quem puer
tum primum Calabra personui fide,
ictu pectinis hoc habe
incisum viridi carmen in ilice :
quem Phoebus citharae pater,
quem laetae citharis Pierides amant,
laetum barbita Narviam,
laetum virginei semper ament chori.
Haec, dum sponte virentia
vivent in teneri vulnere corticis,
addiscent pueri tibi,
addiscent tacitae carmina virgines :
festo mox eadem die,
dum glebam solidae lucis et igneas
electri lacrimas legent,
partiti geminis litora coetibus,
alternis pueri tibi,
alternis recinent carmina virgines.

## XVI. NIHIL STULTE TIMENDUM ET CONCUPISCENDUM.

P2_16

Et me Latinae non solitum loqui
jussere Musae. Nobilis Orphei
non erubescendum nepotem
Sarmatica redimite lauru, et
longa sonantem nec tenui lyra
audite vatem. Nil popularibus
ambire votis, nil timere,
nil nimium cupiisse, magnis
edico primum mentibus. Improbo
utcumque ponis frena cupidini,
metumque dispensas ; per omnes
invidiae potes ire fluctus.
Praecogitati mitior ingruit
procella fati. Saepius omnium
perstare sub rerum tumultu
anticipes, animumque in omnes
praemitte casus : seu pelagus super,
seu fulminantis porta tonet poli ;
stabis, repentinamque mundi im-
-mobilis excipies ruinam.
At nec futurum sollicitus pave
in pace bellum. Qui patitur mala
ventura praesenti timore,
bis miser est, dubiamque victus
est ante cladem. Ne nimia tamen
virtute pecces ; neu mala fortiter
clamosus irrites : juvabit
fortia continuisse verba.
Arcem modesti pectoris innocens
fortuna transit : si revoces tamen,
tuoque non aequam duello
increpites ; redit, atque ab imo,

quae praeteribat, moenia succutit.
Stringenda jam tunc sunt sapientiae
et arma libertatis. Infra
consilium cadet omne telum,
quod fortuito cumque minabitur
fortuna nervo : seu genus impetat,
seu forte virtutem ; vetabo,
fervidus impetuosa foedis
vindex reponas verba calumniis.
Erit loquacis pulchra proterviae
vindicta, risisse et sereno
magnanimum tacuisse vultu.
Se quisque qualem noverit, arguat,
aut laudet intus. Non ego civium
ab ore pendebo, aut protervis
invidiae dabo terga telis,
hac lege justus se teneat timor :
nunc danda caeco jura cupidini.
Externa vestigamus ; at se
rarus habet, vel habere quaerit.
Hic plenus auri, sed vacuus sui,
infamat omnes naufragus insulas.
Quo vivat, heu stulte cruentum
alter emit sibi morte lucrum.
Hic dum supremam lustrat Iberiam,
et gestit hospes discere plurima ;
se nosse dediscit, diuque
ipse sui vagus exsul errat.
Alter reducto lentus in otio
paulum sepulto distat : inutilis
belli domique et ante letum,
heu ! virides male perdit annos.
Hic haeret aulae : se tamen improbus
suosque mores vitat in omnibus ;
et, quae suprema servitutis
poena, palam miser esse non vult :
interque diri tormina pectoris
agit beatum. Vanus adultero
se maeror in risu dolentis
dissimulat, variatque scaenam.
Livescit omnis laetitiae color
sub nube curae. Perpetuus licet
nimbus salutantum et clientis
unda fluat refluatque vulgi,
omnisque servet limina civitas ;
desertus a se cuncta sibi gemit
deesse : torquent urbis illum
divitiae populique census.
Desideranti cuncta potentiae
commune nil est : esse suum putat,
quodcumque pulchrum est. Invidendo
me mea pauperies ab auro
cautum removit. Quae pede proteram,
sint plura, quam quae possideam manu :
hoc magnus, hoc aequalis uno
Caesaribus, dominabor. Omnes
sprevisse tuto possumus omnia,
habere nemo. Qui tumidus suo

se librat attollitque regno,
esse suum populique nescit
aequale letum. Vivimus impares :
pares obimus. Hunc alios supra
alte curules, hunc triumphi
extulerant : cinis aequat omnes ;
et urna, quae nos colliget, omnium
mensura rerum est. Demite sarcinas
grandemque fortunam lacerto, et
solliciti grave pondus auri.
Dum non onustus, sed moriar meus ;
jam nunc perennes divitias mihi
nil concupiscendo paravi,
nil nimium metuendo, pacem.

## XVII. AD APOLLINEM.
## MAGNIFICENTIAM CAESARIANAE LIBERALITATIS AB ILLO CANI OPORTERE.

P2_17 Quis litterati munera Caesaris,
fusasque prona divitias manu,
et tecta, quae pecuniarum
auriferis micuere nimbis,
laboriosi carminis arbiter
aeternet ? O qui sacra biverticis
delubra Parnassi, et canorum
imperiis Helicona frenas ;
expergefactis ad sonitum lyris,
undantis auri flumina concine,
quae fusa Ferdinandianis
per populos abiere rivis.
Non curiosis ille ligonibus
evisceratae collibus Indiae,
aut emedullato Liburnis
montibus insidiator auro :
usuque rerum, non opibus potens,
exuberantis flumina dexterae
per sacra Musarum refundit
atria Palladiosque postes.
At non, ut olim, fabula pauperes
ditavit agros : dum pretio gravis
aurique tempestate dives,
nobilium pater unionum
Ganges avaro gemmea septies
tributa solvit Nereidum patri,
ripasque mirantesque campos
Mygdoniae lavit amne gazae.
Hinc illa magnae regia Palladis,
fastigiatis pyramidum jugis,
aequa levabit invidendum
mole caput, famulumque Musis
praetexet Albim : quae procul exsulem
Phoebum severae saltibus Atticae,
Cirrhaque et umbrosis reductum
Thessaliae revocabit antris.
Sic ille Gallus scilicet Hercules
plebem sonantum colligat aureo
nexu catenarum, et revincta

40 attonitum trahit aure vulgus :
41 dulcique rerum defluus agmine,
42 ludit recusis in pretium sonis ;
43 aurumque et in vulgum caducas
44 flumineo ruit ore gemmas.

## XVIII. IN D. VIRGINEM MATREM, CARMEN SAECULARE PARODIA EX Q. HORATIO FLACCO.

### PUERORUM CHORUS.

P2_18 v.1 Reginam, tenerae, dicite, virgines,
2 visentem roseis astra jugalibus,
3 dignatamque volantum
4 currus flectere siderum.
5 Vos laetam citharis et sonitu lyrae,
6 quem vel Pierii verbere pectinis
7 fingit saucius aer,
8 vel motae digito fides.

### PUELLARUM CHORUS.

9 Vos Marsae, juvenes, carmine tibiae,
10 aut rauci strepitu dicite tympani,
11 pugnarumve loquaci
12 Nympham reddite classico.

### UTERQUE CHORUS.

13 Caecos illa metus et procerum graves
14 iras, e miserae limine patriae,
15 vestris mota querelis,
16 ad Medos aget et Getas.

## XIX. DE SACRO SALOMONIS EPITHALAMIO. II, 9.

P2_19 v.1 Vitas sollicitae me similis caprae,
2 quam vel nimbisoni sibilus Africi,
3 vel motum subitis murmur Etesiis
4 vano corripit impetu.
5 Nam seu prima metum bruma trementibus
6 incussit foliis, sive Diespiter
7 elisit resonis tela Cerauniis,
8 incerta trepidas fuga.
9 Atqui non ego te quaerere desinam,
10 clamatura retro : Christe, revertere ; et
11 rursus, cum rapido fugeris impetu,
12 clamatura, revertere.
13 O seu te Libani terga virentia,
14 seu formosa rubrae culta Bethuliae,
15 seu pinguis Solymae, sive procul cavae
16 cingunt rura Capharniae ;
17 tandem sollicitae pone modum fugae.
18 Nam non effugies : te mihi sedulis
19 aether excubiis prodet, et aureis

prodet Cynthia cornibus.
Te neglecta gemunt litora ; te procul
suspirat tacitis aura Favoniis ;
te noctis vigiles, te mihi vividis
signant sidera nutibus.

XX. AD IOA. STEPH. MENOCHIUM, RECT. COLLEGII ROMANI SOC. JESU, CUM LIBROS DE PRINCIPUM INSTITUTIONE IN LUCEM EDIDISSET.

P2_20
Qualis ubi Phrygia Jovis armiger educatus Ida,
audax hiulci fulminis satelles,
vere novo teneras Aquilonibus experitur alas,
terrasque nescit, immemorque nidi
magna patris relegit vestigia, fulminumque late
circumtonantes visit officinas,
evincitque notos, et inertibus evenit pruinis,
caeloque tensos navigat per imbres :
talis inassueto circumvagus ingeni volatu
doctus paternae strenuusque pennae,
celsa super procerum palatia, despicisque terras,
summasque rerum pervagaris arces.
Quaque pater dubiis populos super immoratus alis
leges superbis dividit tyrannis :
hac neque consilii, neque degener ingeni, secutas,
aequis adurges nisibus volantem.
Ille tamen dominas frenaverat Insubrum secures,
forumque gnavus rexerat Triumvir :
te rerum exsortem tenuit domus innocentis oti,
ausum togatas exuisse curas.
Nec te plebis honos, neque litibus intonata centum
verbosa raucis bella sub patronis,
nec plorata reis subsellia, nec triumvirali
adjudicatum curiae tribunal ;
sed jucunda tenent oblivia diffluentis aevi,
et urbis expers patriaeque vita.
Non tamen interea niveos sinis exsulare mores
aulis potentum curiisque regum :
praeceptisque Numas et legibus anteis Lycurgos,
Valeriosque vincis et Catones,
dum prohibes tumidum popularibus ambitum procellis
regni verendos obsidere postes :
nec pateris mediis assistere Caesarum catervis
caecasque fraudes desidesque luxus,
exsomnesque dolos et dulcibus illitum venenis
aulae nitorem barbarumque fastum.
Quin etiam teneros virtutibus imbuis Quirites,
sacrumque cunis advocas honestum,
ignotumque doces vagitibus alloqui Tonantem,
rudemque divis explicare palmam.
Jamque novos debet tibi Martia Roma Scipiones,
centumque Magnos Maximosque centum,
et Belgae Carolos, et Lechica regna Casimiros,
novosque Dacus debet Emericos :
ferrea paciferum qui saecula digerant in aurum,
mundique pronas fulciant ruinas,
et Tiberi Gangen, et Gadibus asserant Hydaspen,
et regna primo differant Eoo.

Quorum sponte fluens sub foedera militaris Ister
rumpat tenaces Bosporo catenas.
Quos neque fulminea de pectoris emovebit arce
inane regni purpuraeque fulgur,
nec quae dispositis toga luxuriosior lapillis
furto pudentis erubescit ostri ;
nec solium, nec quae manus imperiosiore sceptro
maestae minatur annuitque plebi.
Haec adeo longi cum perleget otii sequester
Ursinus, almi prima cura Phoebi,
tristibus ignotum te non sinet immori tenebris :
sed te futuro consecrabit aevo,
temporis egressum ludibria turbinesque rerum et
caliginosi saeva jura leti.

## XXI. AD ANDR. RUDOMINAM, E SOC. JESU, CUM ROMA IN LUSITANIAM ABIRET IN INDIAM NAVIGATURUS.

P2_21

Ergo, minaci credulus Africo,
tumultuosi marmora Nerei
pugnasque ventorum et tyrannos
Aeoliae superabis aulae ?
Nec te marinae torva licentiae
imago terret ? Nec timor aequoris
enavigandus ? Nec protervis
ille frequens equitatus Euris ?
Sed contumaces Aeoliae minas
iramque ponti spernis, et obvios
mundi furores irretorta
fronte subis similique vultu,
quo feriantis moenia Tusculi,
aut otiosi jugera Tiburis
perambulaturus subibas
egelidos Anienis amnes ?
Hoc ore motae dira protervia
subsidet undae. Jam video procul
ad litus acclinata leni
aequora decubuisse somno,
et dormientis flamina Nerei
spirare pacem. Scinde tenacium
moras rudentum ; perge classem
velivolis animare ventis.
Regina terrarum et pelagi potens
formidolosos diruet objices
periculorum, nec sinistris
ire dabit tua fata velis.

## XXII. LAUDES SIGISMUNDI III., POLONIAE SUECIAEQUE REGIS INVICTISSIMI.

P2_22

Quam prono Rhodopen pede
lustro ! Quae vitrei litora Phasidis
vivo praevehor impetu !
Audacesque Dahas et faciles mori
Colchos, et rapidum Scythen
captivumque gelu transilio Tyram !
O cani juga Carpathi !

O formosa rubrae rura Druentiae,
quam fontes Hypanis lavant,
quam lambunt gelidi flumina Vistulae !
Quis me, quis Morae aqua, precor,
quis me perspicuae margine Viliae
sistat, qua gelidum nemus
ridet mobilium fletibus amnium ?
O quae sidera trajicis,
o quae nubivaga, Calliope, polum
praeterlaberis orbita :
hic me siste, precor, qua Getico piger
fervet sanguine Bosporus,
nymphaeique domos, et cava barbarae
plangit litora Tauricae.
Hic dulci scopulos carmine colligam,
hic Graiae prece tibiae
aram de mediis surgere rupibus
suadebo. Duce me, retro
descendent resonis marmora collibus :
et longo procul ordine
arrepent Pariis saxa laboribus :
Museamque pati manum
inscribique volent, et memores tui,
Sigismunde, pati notas.
Sculperis volucri proterere impetu
Thressae cornua Cynthiae :
scalpemus gemini fulmina proelii,
scalpemus refugum Geten,
et captum niveis Nerea vinculis.
Huc et nocte bis et die
lectarum venient agmina virginum,
et late violis humum,
aramque et folio solis, et aureis
pingent marmora liliis.
Nos et mane ter, et vespere ter sacra
circum valle sedebimus :
hic vivis dabimus caespitibus super
verbenas, et olentia
sacris tura focis, et rude sutili
nectemus philyra caput.
Dicemus ter Io ! Ter recinent Io !
Canae litora Thraciae :
et victos iterum carmine Concanos,
et plausus et ovantia
permixtis dabimus classica tympanis.

## XXIII. AD GERMANIAM, CIVILI BELLO ARDENTEM.

P2_23

Quid juvat, densis glomerata turmis
bella civili tonuisse clade ?
Quid juvat, late maduisse pingues
sanguine campos ?
Tela Threissis potiora pugnis,
tela, Germani, cohibete tela :
tela molitur nova pervicacem
Caesar in hostem.
Parcus irarum modicusque ferri,

lenis in cives, sine caede fusos
Thracas et victos sine clade Caesar
sternet Alanos.
Pone crudelis simulacra leti :
deme loricas pharetrasque, Rhaete ;
mollibus flectit sua regna Ferdi-
-nandus habenis.
Servit extremi tibi potor Istri,
Caesar, irati moderator orbis :
te repercussis agilis Sicamber
concrepat armis.
Condito mitis placidusque ferro
orbis ingentes senii ruinas
firmat, et prono fugitiva ducit
otia mundo.
Martis oblitus calidaeque rixae
findit obliquo juga vomer unco,
et minax olim, modo justus, agrum
demetit ensis.
Cassis, instratis resupina cristis,
alitum vernis resonat querelis,
foeta nidorum : sociant maritas
scuta columbas.
Te vagum solis comitata currum
fama, per latas spatiata terras,
narret Eois, doceatque seros
nomen Iberos.
Audiet, Dacos acuisse tela,
tela Germanis inimica telis :
audiet, contos et iniqua pilis
pila rotari.
At simul, leni rapiente curru,
sparget insonti fera corda succo :
demet et contos, et iniqua pilis
pila recondet.

## XXIV. DIRAE IN HERODEM.

P2_24
Devota sacrae progenies domus !
Fatale monstrum ! Prodigialium
monstrum parentum ! Seu Libyssa
Marmaricis lea pavit antris,
seu te maligno sidere degener
pardus marita tigride prodidit,
furoris haeredem paterni :
sive gregis populator Afri
nudum sub alto destituit jugo ;
seu belluosis fluctibus exspuit
irata tempestas nocentem
alitibusque ferisque praedam.
Tuo severas pectore marmora
duxere venas, marmora rupibus
decisa, quas Gaetula caelebs
Deucalion super arva jecit.
Te sede primum livida regia
Megaera fixit ; Tisiphone dedit
sceptrum cruentandum, feraeque

imposuit diadema fronti, et
regale nuper cum premeres ebur,
assedit altis fulta curulibus,
et per Palaestinos tyrannis
explicuit sua signa campos.
Tremensque et atrum sanguinea manu
telum coruscans, secum odia et minas,
caedemque et insanos tumultus
funeraque et populorum iniquas
strages et indignum excidium retro
lactentis aevi traxit, et inclita
regnorum, inexhaustasque longis
cladibus evacuavit urbes.
Illam et parentum dira gementium
lamenta, questusque et gemitus retro,
luctusque vicatim secuti, et
irriguis lacrimae catervis.
Quod si caducis decidit amnibus
praesagus imber, quid pluvias sequi
cunctantur ultrices procellae,
et volucrum strepitu quadrigarum
incussus aether pigra tonitrua, et
immugientum fulmina nubium
compescit, indulgentque metae
aeriis vaga tela pennis ?
At nil trisulsis Acroceraunia
dejecta flammis, nil Rhodopes jugum,
quassaeve peccavere cautes
Aemathiae, nisi forte dirum
inominatis marmora partubus
fudere monstrum : rumpite, rumpite
montesque, fecundasque regum,
fulmina, praecipitate rupes.
Exspiret auras : occidat, occidat
funestus, exsecrabilis, efferus
sector : crematuramque taxum
ipse super cumulumque regni
summum cadaver fumet, et aera
caelumque diro liberet halitu
fatale monstrum, dissidentum
ludibrium Furiarum et Orci.
Perrumpe tractus impenetrabiles,
ignava tellus, desuper ardua
volvente saxorum ruina :
quam pelagus super et refusis
bis terque Nereus syrtibus insonet.
Audimur. Ingens sidera verberat,
spumamque limumque et rapaces
Oceanus glomeravit undas.
Jam nutat aether : jam barathrum prope,
vastisque campi dissidiis hiant :
jam fractus illabetur orbis
sacrilego capiti. I, profunda
inexpiato pollue Tartara,
Tyranne, leto : solus et igneum
insume Cocytum et frementem
sulphureis Acheronta ripis.

XXV. EX SALOMONIS EPITHALAMIO, II, 5 -9.

P2_25
Me stipate rosariis :
me fulcite crocis : me violariis,
me vallate Cydoniis :
me canis, sociae, spargite liliis :
nam visi mora numinis
mi sacris animam torret in ignibus.
Vos o, vos ego, filiae
caelestis Solymae : vos, Galaditides,
vos, o per capreas ego
errantesque jugis hinnuleos precor,
antiqui genus Isaci,
quae saltus Libani, quae viridem vago
Carmelum pede visitis,
nymphae, nobilium gloria montium :
ne vexate tenacibus
acclinem violis : neu strepitu pedum,
neu plausae sonitu manus
pacem solliciti rumpite somnii :
donec sponsa suo leves
somnos ex oculis pollice terserit ;
donec Lucifer aureus
rerum paciferum ruperit otium.
Summis, ecce, venit jugis
formosae soboles matris, et unicae
formosi soboles patris :
silvarumque super colla comantium et
intonsum Libani caput,
magnorumque salit terga cacuminum, ac
proceras nemorum domos
prono transiliens praeterit impetu :
veloci similis caprae,
quae visis humili in valle leonibus,
per praerupta, per ardua
sublimi volucris fertur anhelitu.

XXVI. AD D. VIRGINEM MATREM,
CUM FAME, BELLO CAELIQUE INTEMPERIE LABORARET POLONIA.

P2_26
Aurei regina, Maria, caeli,
Moesiae valles Hypanimque late
nubium curru super et nivosis
vise quadrigis.
Aureus tecum puer, et coruscis
aureae pennis properent catervae,
et salus et pax et aperta pando
copia cornu.

XXVII. AD CLAUDIUM RUFUM ;
REGUM SEPULCRA ET TUMULOS SIBI SCHOLAM ESSE.

P2_27
Non me Democriti sales,
non me Cecropii porticus atrii,
non percussa docentium

delectant calidis pulpita jurgiis,
vel quae pectoris impotens
clamosi celebrat turba Panaetii ;
vel quae Pythagorae senis
docta tusse crepant. Me veterum frequens
Memphis Pyramidum docet :
me pressae tumulo lacrima gloriae :
me projecta jacentium
passim per populos busta Quiritium,
et vilis Zephyro jocus
jactati cineres, et procerum rogi,
fumantumque cadavera
regnorum tacito, Rufe, silentio
maestum multa monent. Mihi
Pompeii gelido sub Jove segreges
artus, et lacrimae carens
desertoque vagum litore funus, et
magni nominis indigum
corpus, magniloqui verba Panaetii
compensat brevius, neque
regales patitur quaerere copias.
Nolim Pieriis macer
insudare libris, aut tacito vigil
impallescere Socrati :
si regum titulos et tumulis super
fulgentem premo gloriam, et
calco nobilium nomina Caesarum.

## XXVIII. AD FAMAM. LAUDES LADISLAI, PRINCIPIS POLONIAE SUECIAEQUE.

P2_28

Age, picti moderatrix dea mundi,
quate pulso titubantes pede nimbos ;
age, claras famulantum quate pennas Aquilonum.
Glacialis rege currum Cynosurae,
Cata spissos super imbres equitare,
simul Euros animavit generoso tuba cornu.
Tibi plausus populari vagus aura,
tibi pulchrae sociali vice laudes
famulantur salientum comitatu chorearum.
Tibi septem Tiberinae juga ripae
saliari cita gyro glomerantur :
tibi longus per apricum salit ordo thyasorum.
Age, sacrum glacialis jubar Ursae,
cane Medis, cane flavis Agathyrsis ;
Cilicumque et pharetratis Nasamonum cane turmis.
Tibi, princeps, opulenti liquor Hermi
grave nomen fluviali linet auro :
tibi carmen pretiosa perarabit Tagus urna.

---

# LYRICORUM LIBER III.

(1312 vers)

AD FRANCISCUM, CARDINALEM BARBERINUM,
URBANI VIII. PONT. MAX. FRATRIS FILIUM.

P3_1

Absiste, vulgus. Nil humili juvat
cantare buxo, nil popularibus
  nervis, verecundoque functum
 barbiton ingeminare cantu.
Te, Vaticanae sidus adoreae,
Francisce, dicam. Te niveis super
  cunis ligustrorum reclinem
 pulcher Honos, croceoque Phoebus
perfudit imbri. Te roseus Pudor,
virtusque primum non pueriliter
  risere nascentem, et supinis
 lilia supposuere membris.
Tunc et jocoso murmure garrulus
arguta primis verba leporibus,
  dulcesque vagitus ab ipsis
 crederis edidicisse Musis.
Tunc et caducis ningere liliis
molles pruinas, et violaria et
  nubem rosetorum protervo
 in puerum cecidisse nimbo,
nec non severi flumina Liberi
manasse credunt, mellaque Dardanos
  errasse per vicos, et Urbem
 uberibus secuisse rivis :
laevumque vernae munere copiae
risisse Tibrin, et virides procul
  stravisse per ripam tapetas,
 Oenotrios Aniene fontes
gratum allocuto, lene cadentibus
in verba lymphis : Ite loquacibus
  per plana camporum fluentis ;
 ite, novos iterate lusus,
aurae cachinno molliter herbidas
plangente ripas. Nascitur, et viti
  sincerus illimisque morum
 innocuae fluit amne vitae
Princeps, amoenae flumen Etruriae :
ille et profundi fervidus ingeni,
  frugemque virtutum et Latinis
 restituet sata laeta campis :
auroque fusum tempus, et aurei
late per urbes flumina saeculi
  diffundet, et regnata parvo
 rura Jovi, residesque glebas

deliberato vomeris otio,
bacchoque et albis frugibus induet :
ripasque mirantesque silvas
Hesperiae linet amne gazae.

## II. AD D. MAGDALENAM, CHRISTI NECEM DEFLENTEM.

P3_2

Cum tu, Magdala, lividam
Christi caesariem, cum male pendula
spectas brachia, pro ! tibi
oectus non solitis fervet amoribus.
Non es, qualis eras : tibi
non mens semianimis restat in artubus :
non fronti tenerae nives,
non vivax roseis purpura vultibus,
non notus superest color :
sed mors marmoreis pingitur in genis,
et vitae gracilis via
exili tacite spirat anhelitu.
Non, me si satis audias,
plores perpetuum tristia : tertia
cum lucem revehet dies,
mutati referet munera gaudii.
Nam quae sole caret duplex,
ridebit geminis tertia solibus.

## III AD FRANCISCUM, CARDINALEM BARHERINUM.
## CLEMENTIA POTISSIMUM PRINCIPES ORNARI.

P3_3

Felix, gui dubio forte caput supposuit Jovi
nutantique polo : nec trepida sceptra tenet manu,
nec sperat cupidus, sed fruitur : nec pavidus tenet,
sed securus habet. Tu, modici lenior imperi,
nec plausum tacitae plebis emes ; nec miserabiles
divendes lacrimas nobilium caede Quiritium :
te justus populi clarat amor. Cetera diffluent :
hoc uno veniet dives opum copia flumine.

## IV. AD EGNATIUM NOLLIUM.
## AEQUO SEMPER RECTOQUE ANIMO ADVERSUS FORTUNAE INCONSTANTIAM STANDUM ESSE.

P3_4

Sive te molli vehet aura vento,
sive non planis agitabit undis ;
vince fortunam, dubiasque, Nolli,
lude per artes.
Riserit ? Vultum generosus aufer.
Fleverit ? Dulci refer ora risu.
Solus et semper tuus esse quovis
disce tumultu.
Ipse te clausam modereris urbem
Consul aut Caesar, quoties minantum
turba fatorum quatient serenam
pectoris arcem.
Cum leves visent tua tecta casus,
laetus occurres : praeeunte luctu

faustitas et pax subeunt eosdem
saepe penates.
Dextra sors omnis gerit hoc sinistrum,
quod facit molles : habet hoc sinistra
prosperum, quem nunc ferit, imminentes
durat in ictus.
Ille, qni longus fuit, esse magnus
desinit maeror. Facilem ferendo
finge fortunam : levis esse longo
discit ab usu.

## V. AD PUBLIUM MUNATIUM.
## MAERROREM ANIMI COLLOQUIIS ET COETIBUS AMICORUM TEMPERANDUM ESSE.

P3_5

Si quae juvabit dicere saucium,
permitte, Publi, compositam male
loqui cicatricem, et latentes
parce animo sepelire curas.
Secura ferri robora saepius
occultus ignis subruit : et super
minora silvarum caducum
traxit onus, nemorumque famam
stravit virentem, quam tonitru levi
quondam favilla lambere gestiit
impune. Te longus silendi
edit amor, facilesque luctus
hausit medullas. Fugerit ocius,
simul negantem visere jusseris
aures amicorum, et loquacem
questibus evacuaris iram.
Olim querendo desinimus queri,
ipsoque fletu lacrima perditur :
nec fortis aeque, si per omnes
cura volat residetque ramos.
Vires amicis perdit in auribus,
minorque semper dividitur dolor,
per multa permissus vagari
pectora, nec rediisse quondam,
pulsus superbit. Vise sodalium
coetus ; et udis sic temere jace
infusus herbarum lacertis,
ad patrii leve murmur Hallae.

## VI. AD MARCUM SILICERNIUM.
## VERAS ESSE DIVITIAS, QUAE A BONIS ANIMI PETUNTUR.

P3_6

Numquam praecipiti credulus aleae
cum fatis avidas composui manus,
ut mecum taciti foedere proelii
aequa pace quiescerent.
Quid fortuna ferat crastina, nesciam,
haeres ipse mei. Quas dedit, auferet,
non avellet opes, quae procul extimo
semotae spatio jacent.
Quae possunt adimi, non mea credidi :
numquam pauperior, si meus integer.

Regnum, Marce, mei, si bene de meis
    vectigalia censibus
intra me numerem. Pars animi latet
ingens, divitibus latior Indiis,
quo non ter spatio longius annuo
    itur navibus aut equis.
Sed mens assiduum visitor in diem
hospes saepe sui, non ebur aut novas
mercatura dapes, ipsa sui satis
    dives, si sibi cernitur.

VII. IN TURPEM SAECULI AVARITIAM.

P3_7 Frustra querelis et gemitu parum
deliberato flevimus, arcium
  portas et emunita saevo
 moenia procubuisse ferro.
Tot civitatum clade super parum
peccavit ensis, quando labantium
  infirma murorum reperto
 oppida suffodiuntur auro.
Eheu ! secundum militis ad latus
primus resedit sedulus artium
  fossor pudendarum, et decoros
 explicuit sine sole vultus
vicina juxta pocula laetior !
Cessere servis tela ligonibus !
  Plebeius (heu nefas !) equestri
 malleus associatur hastae !
Pax ipsa bello deterior subit,
cum vilis auri belligeras amor
  pacavit iras, et repensis
 proelia detonuere nummis.
Pugnare dignos sole palam duces
celant opacae nobilis obsides
  auri cavernae. Jam caduci
 desuper intremuere colles.
Nolunt adeso jam dubiae solo
pendere turres. Excutit impios
  tellus colonos, in ruinam
 ambiguis agitata campis.
Fugere turpes agricolas agri :
insons avaris litus ab urbibus
  migravit, et contaminatos
 aequora deseruere portus.
Natura, magnis dum sepelit nefas
rerum ruinis, vitrea fontium
  oblevit ora, ut navigatos
 Sicaniae Venetaeque merci
puniret amnes. Vidimus Aufidum
nusquam repertas, arva per Appula,
  quaesisse ripas, cum sequacem
 distinuit malus error undam,
hausitque nubes vallibus integras
turbo soluto plana per alveo,
  regum piaturus penates
 flagitiis populique noxa.

## VIII. AD AELIUM CIMICUM, IN RUSSIAM CITERIOREM PROFECTURUS.

P3_8

Aeli, non sumus arbores,
ut, quo quisque loco natus, inutili
duret perpetuum mora.
Nolis caeruleas Sarmatiae domos,
et canae juga Russiae
intentata mihi, dum Zephyri vocant
et siccae nivium viae.
Non frustra properis imposuit rotis
currus Iapeti genus ;
et terram pavidos linquere navitas,
pictis non sine carbasis,
remorum celeri propulit agmine.
Non frustra patiens equi
se sternit mediis trames in Alpibus.
Magno dignum iter Hercule
Naturae ingenium struxit, idoneis
dimensum juga passibus,
qua se praecipiti gloria vertice
lasso ostenderet Herculi ;
dignatusque sequi pergeret Hannibal,
regnumque ac Libycos manu
attollens populos Aeoliam super
et tristes nebulis domos,
armatam Italiae infunderet Africam.
Non soli loca quaerimus :
nusquam fixa satis Pergama transeunt,
Teucrique et Dolopes migrant.
Mutant magna suas regna vices : nihil
perstat, quo genitum est, loco.
Cum primum geniti, matris inertia
Terrae viscera rupimus,
moti particulam traximus aetherii :
Caelique ingenio patris,
cum matre immemores stare, cucurrimus.

## IX.PANEGYRIS ANNAE RADIVILIAE, CASTELLANAE TROCENSIS, DUCISSAE NESVISII.

P3_9

Quo te dearum nomine consecrem,
vicina cani Nympha Borysthenis ?
Themisne, an una Gratiarum
de tribus excipiere divis
scribenda Drie ? Cedit aquis tibi,
utcumque pictis fertur oloribus,
Cretaque, et innantem relinquit
Oceano Cytherea Delon.
Hinc et severo migrat ab Algido
parum serenis Cynthia cornibus,
quamvis anhelantem lacessat
ira canum, teretesque rumpant
virgulta damae. Sed tibi dulcius
tranquilla rident Palladis otia ;
seu tela non mendax retexto
bella virum simulare in auro

mensem fefellit, seu tibi caelitum
vestire nudas spiritus incidit
aras, et aulaeis et ostro
pauperibus placuisse divis.
At non inani fama canit tuba
te vi potentis non sine consili
ventura tangentem sagaci
mentis acu celerique cura.
Tristis videri prodit, et unice
sibi serenis pervigil in genis
lucet venustas : seu coruscum
caesariem tibi pingit aurum,
non indecorae nube modestiae
exstinguis aurum vilius adspici,
gemmasque nolentes latere
moribus ingenioque celas.
Hinc inde rubris Creta coralliis,
illinc smaragdis fulguret India :
cum pura virtus fulsit, omnes
in tenebris latuere gazae.

## X. AD MUSAM. LAUDES LADISLAI, PRINCIPIS POLONIAE ET SUECIAE.

P3_10

Carminum praeses citharaeque Clio,
dic, ubi molli resupina somno
feta rumorum cubet eruditis
fama sub antris.
Rumpat ignavos, age, dic, sopores,
(nam locum nosti) nimiique fessa
somnii tergat niveo morantem
pollice somnum.
Thespio currum moderante loro,
Solis auratas, age, dic, quadrigas
scandat, et claros gemino triumphos
differat orbi.
Narret, hibernis Helicen pruinis
Barbaro nuper caluisse tabo :
narret, Arctoo rubuisse canum
sanguine pontum.
Prodigus laudes tibi fundet Indus
ostiis septem : tibi dives aeris
accinet Lydus : tua volvet ingens
nomina Ganges.
Te canent solis Garamantes arvis :
te Dacae, princeps, pluviaeque pauper
Maurus, et Cydni vitreique discet
potor Enipei.

## XI. LAUDES FRANCISCI, CARDINALIS BARBERINI.

P3_11

Quis me citatus pectoris impetus
denso sedentem propulit aere,
currusque nimborum morari, et
per medias equitare nubes,
et plana terrarum, et populi casas
regumque turres non sine gaudio

calcare sublimem, et superbo
regna super volitare curru ?
Rerumne falsa ludor imagine ?
An picta mundi moenia, et igneas
arces, coronatumque flammis,
et liquidum sine labe solem
praevertor ? Hic et patria siderum,
clarusque caeli baltheus aurei,
campique stellarum, et decemplex
perpetuo redit aula gyro.
Qua parte caeli principis aureas
inscribo laudes ? Hinc adamantinis
aeternus Orion in armis,
et gemino prope Castor igni
fortem reposcunt. Hinc gravis Hercules
famae propinquum postulat Herculem :
hinc noctis immunem et veterni
Parrhasii vocat ora plaustri.
Acrem et timori cedere nescium
addam Leoni : quem penes igneae
aestatis arvorumque cura, et
flava Canis Cererisque regna.
Justam et tenacem propositi manum
mundi serenis partibus asseri
exspectat Autumni Virago :
quae geminam sine fraude Libram
aevique frenos et celeres vehi
compescit Horas. Hinc tibi patrio,
Francisce, cedentes Olympo
Pleiadas Hyadasque cerno :
illic laborat Phosphorus hospitas
laxare nubes : hinc tibi lucidus
collumque repentesque caelo
Scorpius abstinuisse Chelas,
auroque comptum Marmaricus Leo
crinem totondisse, et radiantium
opima villorum, et jubatas
velle polo revocare flammas.
Insculpta caelo gloria sospitat
heroas : anni cetera subruunt :
aulaeque sceptroque et columnis
excidium sua dixit aetas.

## XII. AD AURELIUM FUSCUM. OMNIA HUMANA CADUCA INCERTAQUE ESSE.

P3_12

Si primum vacuis demere corticem
rebus, Fasce, velis, cetera diffluent
vernae more nivis, quae modo nubium
leni tabuit halitu.
Formosis reseces fortia : displicent.
Externis trahimur. Si male Dardanis
respondens Helenae pectus amoribus
famosus videat Paris ;
nusquam per medii proelia Nerei
ventorumque minas splendida deferat
Graii furta tori. Sed bene mutuo
rerum consuluit jugo

naturae dominus, quod niveis nigra,
laetis occuluit tristia. Qui bona
rerum de vario deliget agmine,
consulto sapiet deo.

## XIII. AD MOSCOVIAM.
## CUM PRINCIPEM POLONIAE MOSCHI IN IMPERIUM ARCESSERENT.

P3_13 Moscua, cur iniquas
aureis frustra pharetris diminuis sagittas ?
Vulnera cur adacto
dirigis ferro ? Cohibe stridula contumaci
barbara tela nervo.
Jam tibi Mavors facili molliit arma risu,
jam tibi mulcet iras :
jam tibi frontem lepido temperat in sereno :
jam cecidere tela :
jam pharetratis clypeus demigrat e lacertis.
Quid lacrimosa torvam
exaras rugis faciem ? Quid melius supinis
fletibus Astra poscas ?
Quid bono divi melius mittere rege possint ?

## XIV. AD HONOREM. CUM FRANC. BARBARINUS
## PURPURA SACRA AB URBANO VIII. PONT. MAX. ORNARETUR.

P3_14 Te, clara divum progenies, Honor,
Marsae canemus carmine tibiae :
te, meta votorum et laboris
dulce lucrum, volucrisque vitae
formosa merces. Te decorum patrem
inter serenae fulgura gloriae,
lunaeque stellarumque cunas,
imbre super radiorum et auri,
virtus marito conscia numini
effudit illustrem, et genialibus
toris coronarum reclinem
siderea religasse zona, et
non indecorae sidere purpurae,
grataeque risu lucis, et osculis
miros anhelantem nitores
celsa super posuisse sceptra,
et molle fertur fascibus et mitris
aptasse fulcrum : quas stipulae modo
prensasse per ludum, et procaci
diceris arripuisse dextra.
Te prorogati filia temporis,
germana recti, candida Veritas,
non erubescendis adurit
ignibus ; ingenuoque parvus,
luces honesto, fervidus ardua
curare rerum. Te patriae parens
tranquilla Libertas Fidesque,
et duplicis studiosa mundi,
illiterato quae procul otio
fecunda veri tempora dividit,

arcemque causarum et corusci
praevehitur vaga regna Phoebi :
te, quae propinqua clade superbior
gaudet cruentis diva periculis,
lassare Fortunam duello, et
per medias docet ire mortes.
Illam impotentum exercitus imbrium
insana aquarum rumpere proelia,
undas refringentemque flammas,
attoniti pavet ira mundi.
At non et aequo foedere Comitas
non temperato pectore conserit
cultusque, tranquillamque morum
temperiem similemque vultum :
sive aestuosus gurges inhorruit
civilis undae, cum popularium
aestu procellarum, et dolosa
carbasa diripiuntur unda :
seu rauca vulgi murmura lenibus
sedere ventis, cum placidum sibi
consensit aequor. Te decoro
nobilitas comitata gressu
centum vetustas nectit origines,
centumque retro per populos fluit
Ceris avorum : nec severae
Martis opes Aquilaeve desunt,
censusque et almae vulgus adoreae
anciliorum, et stemmatis et togae,
fascesque laurique et frementum
turba retro titulorum inanes
exercet auras, non sine plausibus,
famaeque et aureo nominis essedo,
quod turba mirantum et curule
frenigera trahit aure vulgus.
Jamque et virentis vere puertiae
malas amictum, purpureus simul
autumnus irrepsit decoras
flore genas, per aperta late
effulgurantum culmina siderum
effrena curru jungere fulmina,
nubesque praetervectum et imbres
quadrijugis dare lora ventis
miramur omnis turba minor pedum :
supina curvo poplite civitas,
votisque et obtutu sagaces
Puniceum jaculamur axem :
unde et coruscis oppida moenibus,
pictumque velis aequor et insulis,
regumque turres barbarorum et
attonitas specularis urbes.
Tu regna ventorum et pelagi gravem
compescis iram : tu vaga siderum
crystalla frenas : tu frementes
lucis equos vigilesque mundi
metaris ignes. Te penes Aequitas
et saepta Tuscis jura securibus
stipantur, annosaeque Leges
et niveum sine caede Justum.

Tecum supellex aurea et asperi
gemmis tiarae : te radiantium
nexus coronarum, sereni
regum apices lituique circum,
et regiarum sidera frontium
mitraeque fulgent, et diademata
ad usque formosam diei
invidiam opprobriumque solis.
At retro flavum lambere pulverem
Livor rotarum, et degeneri solum
mento cecidisse, et procacem
maeret humi posuisse vultum :
plenoque nusquam divitiae sinu
gazaeque, et omnis turba pecuniae,
et grando gemmarum et refusi
per populos vagus imber auri.
Tu lene tomentum ingenio admoves
mentesque dulcis nectare gloriae
plerumque mulces. Te feracem
consilii facilemque vendi
emisse doctus circuit Ambitus,
fucoque et albis vestibus unice
formosus, agnoscique duplex,
et placidae sine nube rugae,
risu serenae frontis idoneus
mire sagacem fallere curiam,
discrimen obscurum dolosis
artibus ingenioque morum.
Spes mille circum nubibus insident,
plenoque regni pectore turbidum
bacchantur : at turpes Repulsa
et volucris fuga ridet Aurae.
Te quamquam anhelantum ignea siderum
suspirat aedes, principis aureos
invise postes. Hic ruinas
imperii seniumque mundi
curare solers, desine tristium
tandem querelarum, et potius sacra
incude diffingas in aurum
saeva ducum procerumque tela.

XV. AD APES BARBERINAS ; MELLEUM VENISSE SAECULUM.

P3_15 Cives Hymetti, gratus Atticae lepos,
virgineae volucres
flavaeque veris filiae,
gratum fluentis turba praedatrix thymi,
nectaris artifices,
bonaeque ruris hospitae,
laboriosis quid juvat volatibus,
crure tenus viridem
perambulare patriam,
si Barberino delicata principe
saecula melle fluunt,
parata vobis saecula ?

## XVI. AD SE IPSUM.

P3_16

Quid diu vanas feriente nubes
vota fallaci jaculamur arcu ?
Quid loquor dudum mihi consul ipse,
ipse senatus ?
Ite, mordaces, procul ite, curae ;
me vocat notis Helicon viretis,
me sacrum lauri nemus, et canorum
Phocidos antrum.
O ubi molles Heliconis umbrae !
O ubi Cydnus, violisque pictum
Thespiae rupis caput ! O sonori
flumina Pindi !
Me quis ad vestros Aquilo recessus,
aut quis alata Zephyrus quadriga
deferat fessum, gelidosque Cirrhae
sistat ad amnes !
Vos mihi Romam Phrygiisque centum
pendulas saxis simulatis aedes,
vos Aventinum Capitoliique im-
-mobile saxum.
Hic, ubi laevi cecidere musco
virgines undae, vitreoque garrit
ore Clitumnus, nimiumque labi
sedulus Almon :
Hippocreneis abiere rivis
Pegasi fontes, Aganippidumque
murmur et cantus et euntis agro
copia lymphae.
Alter hic Liris fugit, alter Ufens :
alter illimi Trasimenus amne
trudit electrum, liquidoque Plaeve
volvitur auro.
Hic ad Empusae nemus et virentem
Aesaris ripam studiosa florum
aura colludens cumulo jocantis
obstrepit undae.
Lenis hic aurae tepor, hic venustas :
hic nitor rerum meliorque caeli
vultus : hic plenis agitata manant
gaudia ripis.
Hic sales compti facilesque risus,
hic levis circum jocus, et decentes
gratiae plenos referunt resecto
flore quasillos.
Hic mihi septem melius renident
Romuli colles, gracilesque venti
lenius perflant gelidam supini
Tiburis arcem.
Collis o sacri decus ! O magistrum
Numen ! O Graiae fidicen Camenae,
Phoebe, si gestis procul arduo de-
-scendere Cyntho,
huc ades, longi mihi testis oti.
Tuque (nam me quis prohibet ?) reposta
affer in primis mihi, Fusce, grati
carmina Flacci.

### XVII. AD TIBERIM, BENFICENTIAE ET LIBERALITATIS URBANI VIII. PONT. MAX. SYMBOLUM.

P3_17 v.1 Tibri, siste, precor, nec rapidae regna licentiae
2 jactaris temere : neu Latii litora Nerei
3 undarum nimio deciduus plauseris agmine.
4 Quid per plana, per abrupta, per impervia lubricum
5 vectigal domino deproperas Nereidum patri ?
6 Urbani patulae credideris flumina dexterae :
7 tunc seu melle fluent, seu rutilis saecula fontibus,
8 fies auriferis nobilior fabula Lydiis.

### XVIII. LAUDES FRANCISCI, CARDINALI BARBERINI.

P3_18 v.1 Hic ille plenis Oceanus patet
2 laudum carinis. Ite loquacia
3 per transtra facundisque, Musae,
4 carmina deproperate remis.
5 O qui loquentis flamine sibili,
6 lenique sacrae nubis anhelitu
7 impellis antennas, Notorum
8 alba super volitare terga
9 doctus, procellas et bijuges celer
10 frenare nimbos, huc age Delphica
11 lauru, coronatamque myrto
12 Pegaseae dominator undae
13 inscende puppim. Quod timidi prius
14 sulcemus aequor ? Quod pelagus situm
15 fundoque virtutum et refusae
16 per populos maria alta famae,
17 vates profundae navita gloriae
18 invisat ? Illinc alta frementium
19 moles procellarum, et protervae
20 fluctibus intonuere lymphae.
21 Haec illa parci nescia litoris,
22 avara caeli, prodiga munerum
23 bacchatur, et pecuniarum
24 caeruleo pluit aura nimbo.
25 Haec illa magni pectoris indoles
26 sese ipsa rerum fluctibus erigit,
27 curasque et alternis natantem
28 consiliis animum remiscet,
29 vindex avarae fraudis, et abstinens
30 lucrantis auro regna pecuniae,
31 rerumque prudens, nec cruentae
32 laudis iners animique parca.
33 Hinc aestuantum mota superbia
34 subsedit undarum, et procul arduum
35 ad litus acclinata blando
36 aequora decubuere somno.
37 Hoc illud alti principis otium
38 clausum quieti vecte silentii,
39 somnique curarum et labore
40 empta quies, animique vesper
41 longi repensus merce negotii.

Cum dulcis inter claustra modestiae
sceptrumque et immensis reclinat
regnum humeris, onerique parcit,
obliviosus dissipat Hesperus
regum labores. Damna fugacium
plerumque curarum reponunt
pervigiles sine nocte somni :
aulae nitorem cum bene nesciae
texere noctes, nobilium simul
pompam catervarum retexit
clara dies, rediere curae.

## XIX. AD MILITARES EUROPAE ORDINES. DE PROVINCIIS GRAECIAE RECUPERANDIS.

P3_19

Si quem cruentae vultus adoreae,
si fusus auro miles et incliti
urunt in argento triumphi,
artifici simulante dextra,
sculptaeque laudes et titulis super
afflata signis vita Corinthiis,
cultusque moresque et perenni
paene loquax sua fama saxo :
hic si locari postgenitis sacer,
et per nepotum lucidus atria
quaerit videri ; destinatam
funeribus meditetur aram,
vultumque vultu fingat Achillei,
dextramque dextrae commodet Hectoris,
dignus Timanthea notari
arte Syracosioque caelo :
letique curta merce perennius
lucretur aevum ; quos sibi dempserit,
caris redonaturus annos
conjugibus puerisque caris.
Hic si timendus gestit aheneis
horrere squamis, quem litui sonus
saevique conjurata Martis
signa vocant, clypeo subire,
sparsumque crinem versicoloribus
mutare cristis, et rapidum vehi,
dum per rejectantes lacertos
ambiguae fluitent pharetrae :
illum palustri consita fraxino
poscit Methone, poscit Acarniae
lacus Tanagreique saltus,
aut graciles Marathonis orni,
Gnossosque telis et resonum gravi
Stymphalon arcu. Non chalybum rudis
Lemnos, nec inconsulta ferri
Phocis erit, nec inermis Oea.
Si rursus idem bella fidelibus
committat Euris, aequoris impiger,
veloque et obluctante remo
Ortygiis equitabit undis :
illi Cytori pinus, et hispidae
cupressus Idae brachia frondium
in transtra et haerentem carinam

contrahet : aerisonamque puppim
non imperito remige muniet
Euboea ; remos Thespia suggeret,
ausamque despectare nubes
veliferam dabit Ossa pinum :
aut qui comatas educat ilices
Caicus, aut qui limpidus assitas
Maeander intercurrit alnos,
aut dubii vagus error Hebri.
Nec si superbus poscat eques vehi,
pugnae scientes Ismara denegent
pullos, relicturasque retro
aut Noton aut Aquilona plantas,
si bellicosos proruat accolas
servilis Haemi, sparsa sequi celer
vexilla, palantemque lunam
Haemoniis agitare campis.
Illum et colossis conspicuum dabit
venalis omni funere gloria, et
doctis renascentem metallis
Orchomenos, vel amica vivum
non pejeranti marmore Neritos
ementietur, nec Capitolia
mutum Palatinaeve moles
stare sinent sine laude civem.

## XX. AD AULUM LAEVINIUM. VISNOVII, POLONI EQUITIS, VIRTUS, CUJUS PRO PATRIA INTEREMPTI COR, PER SUMMAM BARBARIEM INTER SE PARTITI TURCAE ET DEPASTI SUNT.

P3_20

Eheu ! Quo citharae sciens,
et Bacchi calidis fervida jurgiis,
Laevini, ruit indoles,
imbellem strepitum et docta procacibus
saltum fingere classicis,
auditoque choros cogere tympano,
et mensam clypeo super,
et plenam galeis ducere Liberum !
Non hoc pectore Thracios
inter Sarmatici fulmina proelii
fudit Visnovius globos,
et Thracum volucres contudit impetus.
Ille et sanguineis super
fumantum cumulis haesit Iazygum, et
alti navita sanguinis
portum non soliti nominis attigit.
Illum Thraces, Achaicis
rimati gladiis, pectoris invia
dimovere repagula :
et cor et tepida morte fluens jecur
devesci, et pia carpere
ausi sacrilegis viscera morsibus.
At non egregiam quoque
libarunt animam, nec Mareoticas
pavit fama libidines,
aut secura Getae dentis adorea.
Eheu ! stringite, posteri,

ferrum belligera stringite dextera.
Heu, primam gladii sitim,
pubes, Odrysiis imbue caedibus,
confossisque reciprocum
rursum pectoribus reddite sanguinem,
dudum in corpore Bistonum, et
venis immeritum fervere barbaris.

## XXI. AD PRINCIPEM QUEMDAM AD THERMAS PROFICISCENTEM. JUCUNDAM ET HONESTAM VITAM FRUCTUOSAE ET ANXIAE ESSE PRAEPONENDAM.

P3_21

Regias veto manus
Tagi serenis imminere rivis.
Utili placet luto,
fucumque nobis fluctuantis auri
flavus allinit liquor :
ex quo superbi dives amnis Hermi
sordidum lavit Midam,
rudique limum duxit e tyranno.
Ite, mobili vitro
albive Cydni lucidive Xanthi,
ite, principum manus,
auri coruscas submovete labes.
Rivus integer viti,
suaeque purus consciusque lucis,
praeterit fidelius
regumque somnos Caesarumque palmas.
Dulce purpurae decus,
tuam micantis innocens metalli
amnis irrigat manum :
Midamque, princeps, Tantalumque rides.
Vitreus tibi latex,
lympha sequaces evocante lymphas,
lubrica placet fuga,
qua fervet Arnus, garrulumque pratis
unda promovet pedem,
ripasque pingit, candidique fontis
uda volvitur dies.
Hic thymbra poscit, hic amoeniores
humor educat rosas,
et cana nardus filiique veris
hinc et hinc bibunt croci,
vivumque potant fluminis pudorem.
Hic comata lilia
passisque Majus ambulat capillis.

## XXII. AD CAESAREM PAUSILIPIUM, NE NIMIUM ADOLESCENTIAE FIDAT.

P3_22

Ne te, Pausilipi, fallat inanibus
aetas deliciis, quae, simul impigris
incertum rapuit curriculum rotis,
effreno citius labitur Africo.
Mendax forma bonum deficientibus
annis praecipitat, vitrea concuti,
dilabi facilis, cerea diffluere,
hornae more rosae, quam modo roscidam

cum fovit tepidis mane Favoniis,
dissolvit pluviis vesper Etesiis.
Numquam, quod rapido pollice texuit,
audet compositum Parca retexere :
nec reddit refluo saecula turbine.
Felix ille, cui non breve temporis
momentum placuit ; qui juga mobilis
aevi deposuit, qui sibi lucidam
jam nunc sollicito lumine patriam et
arcem nobilium destinat ignium.

## XXIII. AD JULIUM ARIMINUM. SOLIS ANIMI BONIS NOS BELLUIS PRAESTARE.

P3_23

Non Hydaspeis, Arimine, gemmis,
non domus flava laqueata cedro,
aurei torrens neque te beatum
fecerit Hermi.
Mitte sectari, quis amoena praeter
prata non parco fluat amnis auro.
Sit satis virtus, animosa sedes
visere divum.
Alter effultos adamante muros
tollat, aut caesas Sipylo columnas,
fossor inspecta Styge quas revulso
subruat Orco.
Ditior silvis habitat Sabaeis
ales Eois renovata bustis :
ditior gemmis rutilo vagatur
piscis Hydaspe.
Alter Eois variam lapillis
subliget zona retinente pallam :
alter insignes Tyrio lacertos
vinciat ostro.
Gratius laeves variavit alas
sparsa nativis Philomela guttis ;
pulchrius Thressae maculosa pingunt
pectora lynces.
Tonsa nos vestit pecus, et luporum
terga mentimur : neque flava vestem
dedecet vulpes, et abacta caeso
castore pellis.
Una mortales numero ferarum
eximit virtus, volucerque notas
siderum sedes animus solutis
visere pennis.

## XXIV. AD IOANNEM RUDOMINAM. IN FUNERE GEORGII RUDOMINAE FRATRIS.

P3_24

Qualis trisulci fulminis impetus,
quem Daedaleis feta vaporibus,
pinguemve pabulata terram
per medias rapit ira nubes,
fastidioso cum semel excidit
immurmurantum carcere nubium,
per regna ventorum, per auras,
et dubias Aquilone silvas,

per arva late, per juga concito
grassatur igni : jam capitis minor
aut Haemus aut percussa Calpe
non humiles posuere fastus ;
interque diras dux equitat faces
communis omnes per populos timor ;
et pone strages et supino
deproperata ruunt tumultu
e nube fata, non sine montium
clamore, longus quem glomerat fragor
volentis audiri ruinae,
et volucrum furiae Notorum :
talis superbis irruit hostibus,
mortis decoro pulvere sordidus,
et per Musurmannos honestam
explicuit Rudomina pugnam.
Illum futurae laudis et inclitae
mercede famae gloria, mentium
regina, nundinata morti,
per medios rapuit Gelonos.
Quam pone virtus et decus, et comes
injuriosae religio necis,
per tela, per formidolosos
quadrupedantum onagrorum hiatus
exercitati militis, obvio
venale fato prostituit caput :
sed visus haud venire parvo
magnanimus Rudomina leto.
Nam dum, duelli laetior, hostica
opprobriorum murmura vindice
excusat ense, barbararum im-
-mortuus aggeribus cohortum,
praesecta tandem colla volubili
lapsu reclinat. Sed famula prope
decusque praesignisque virtus
semianimem subiere dextra.
Mox, expeditis corpore manibus,
deproeliatrix gloria siderum
occurrit, et fulvo reclinem
ire jubet super astra curru.
At fama late tergemino tubae
longaeva cornu saecula personat :
Io triumphe ! vivit astris
ille meus Rudomina, vivit.

## XXV. AD JOANNEM RUDOMINAM. IN FUNUS JOANNIS RUDOMINAE PATRIS.

P3_25

Quemcumque mendax fama Quiritium,
et dedicatis densa clientibus
corona, juratisque stipat
imperii comitatus armis,
quamvis Lacaena picta superbiat
sub veste tellus, et famulantium
juxta lacertosae cohortes
et clypeis radient et hastis ;
nec pervicacis ludibrium deae,
nec concolores consilio dolos

vitabit, aut circumsonantes
nobilium fugiet tumultus :
nec concitato pectoris impetu
nitente mentis remigio, soli
ignavus haeres, innatantes
caeruleum per inane campos
pervadet umquam : quippe volubili
negotiorum pulvere sordida,
gliscente curarum tumultu,
mens humiles remoratur alas :
at quem supernis sedibus intulit
mors, et profanis praecipitem procul
furata terris. Quo solutus
praepetibus Rudomina pennis
exerrat ohe ! Quo per inhospitas
afflata leni pectora flamine
nubes, inaccessosque tractus
et superas agit inter arces !
Non usitatis ille volatibus
praevectus udas terrigenum domos
coetusque vulgares, beatae
non humilis venit hospes aulae.
Illum ministra religio manu,
et delicato pectoris essedo
evexit inconcussa virtus,
et superis dedit ire campis.
Exstructa quondam celsa faventibus
delubra divis munificentia
pensavit auratis deorum
hospitiis famuloque caelo.
Hic vel corusco se prope siderum
curru locabit, vel propior deo
e nube reclinis curuli
sub pedibus sua fata cernet :
Regumve torvos subter acinaces,
et regiarum sidera frontium,
et tot tyrannorum videbit
suppositos radiare fasces.
Et haec stupebit, quae propius micant,
obscura crasso serpere nubilo,
lateque casuras per urbes
ora sagax oculosque ducet.

## XXVI.IN FUNERE ERNESTI VEIHERI,
## PALATINI CULMENSIS FILII, VITA IMMATURE FUNCTI.

P3_26

Porrectus imo nec scopulus vado,
cautesve pronis amnibus imperat
moras, neque undantem morantur
fluminibus cava saxa lapsum.
Nec irretento praetereuntia
tempus retardat saecula cardine :
nusquam fatigatos Orion
solvit equos properante curru.
Annos et horas praepetibus rapit
Latona bigis, irrevocabilis
decurrit, effetamque prona

accelerat cariem juventus.
Apollinari nuper in agmine,
florentis aevi limine vidimus
stantem Veierum, lacrimoso
praecipitem cecidisse fato.
Mox ut caducis artubus ingruit
mors aestuosis torrida febribus,
ferocientes devoluta
stamina diripuere Parcae.
Candente bysso pensa fluentia
rupere nodos : occidis, occidis,
Erneste, ceu quondam procellis
exanimes cecidere nardi :
ceu, dum per hortos caerulea manu
desaevit udus Jupiter, imbribus
sterni reluctantes acanthi
lassa solo posuere colla.
Quid, Mors, superbo pectora turbine
insana victrix surrigis, inserens
terris triumphales cupressos,
et mutilam sine fronde taxum ?
Mentis pudicae candor, et indoles
firmata faustis sub penetralibus,
cultusque divinae parentis,
fixa locant monumenta terris.
Vidit benignis moribus aureum
felix Lyceum : vidit imaginem
virtutis Ernestum paternae,
et similem proavis nepotem.
Saevi tropaeum funeris ardua
virtus profundo praecipitat solo.
Sublime Veiherana virtus
sidereo caput aequat orbi.
Illam secundis gratia brachiis,
altusque curru rumor eburneo
ad astra sustulit videndam
attonitae volucrem juventae.

## XXVII. IN PRIMI LAPIDIS JACTU, CUM IO. CAR. CHODKEIVCIUS, CONTRA OSMANUM TURCARUM IMP. SIGNA MOTURUS, TEMPLUM VIRGINI MATRI CROSENSIS S.I. COLLEGII EXSTRUERET.

P3_27

Divum locatus consilio lapis,
et dedicati liminis arbiter,
quam rite de caelo migrantum
hospitio superum coruscat !
Non tot fremebat litus Olympiis
olim catervis, Graia Corinthio
dum lustra certatim Tonanti
instabilis celebraret Isthmos.
Te quippe divum turba domesticum
marmor superni civibus aetheris,
magnaeque majestas parentis
perpetuis habitabit annis.
I, perge felix, et latebras cavae
telluris intra : qua tibi tutior
templi superventura moles

fortibus insideat columnis.
Hic nempe quisquis sacrificas manus
inaugurato tinxerit unguine,
caelumque solemnesque sacris
muneribus cumulabit aras,
et fronte plenum laetitiae diem,
intaminatis pulcher honoribus
ostendet aris, et serena
per solidum feret ora vulgus :
plebisque denso celsus in agmine
divina caelo tendet adorea,
quae terra, quae supplex adorat
compositis pelagus procellis.
Nec vero surdis sideribus preces
conchyliato murice fulgidi
mystae feretis, dum faventi
pro Carolo Carolique castris
optata divis vota litabitis.
In ore vestro sollicitus suas
spes ille librat et tonanti
et patriae sua sacrat arma.
Effrena vestra detumeant prece
formidolosae bella Propontidos,
et laevus Ister, et Gelonus
vipereo metuendus ictu.
Illuc citato Martis in essedo
toto vehatur Carolus impetu,
et concatenatos superbis
Massagetas trahat in triumphis.
Juxta faventum cura Quiritium,
densisque laudes agminibus ducem,
et plausus et depurpuratis
gloria concomitetur armis.

## XXVIII. AD ABRAHAMUM BZOVIUM, DE SACRA ANNALIUM HISTORIA EUGENII IV.

P3_28
Qualem e nivosis Eridanum jugis
primo cadentem leniter agmine
festae Napaearum catervae
trajiciunt, hilarique circum
plaudunt natata : mox, ubi prodigus
et temperati marginis immemor
prorupit, et praeterfluentis
regna procul populosque lusit
errore lymphae, degeneres simul
ripaque et immensi hospitio alvei
dignatus amnes, atque aquosum
immodico bibit ore caelum,
silvisque et arvis latius imperans
ripam evagantis seditionibus
metatur undae, jam natari
difficilis, nimiusque campi,
venti paventem non bene sustinet
dorso phaselum, laetior arduas
subire bellantum carinas,
et galeis clypeisque longe

clarus videri, donec Iapygas
amnes avari fluctibus Adriae
submisit, et majore ponto
velivolum dedit ire Martem :
sic te fluentem leniter aureae
torrente linguae, prima per Italas
clamata defatigat urbes
eugenii pia cura patris ;
qui, bella regum et illacrimabiles
rerum tumultus flectere providus,
mundi laborantis ruinas
extulerat subeunte collo.
Sacrique Veri solliciti patres,
quos infidelis litora Bospori,
Rubrive submisere ponti
regna Paraetoniive Nili,
lectum remotis consilium plagis
rerum potentem visere Tusciam, et
leges peregrinosque ritus
Dardaniis sociare sacris.
Hic tu profanis cassa furoribus,
doctisque narras proelia vocibus
pugnata, clamatumque Martem,
qua vitrei ruit amnis Arni.
Nec otiosae more licentiae
exaggerato defluis alveo :
sed plana per rerum profundo
ore ruis mediusque ripae.
Mox et citato plenior impetu,
linguae sonoro flumine devehis
classemque et evagata longe
Ambracio pia bella ponto.
Quo nos avorum bella trahunt, retro
seri nepotes ibimus ? Ibimus
pulchros redordiri labores,
et veteres reparare palmas !
Solusne palmas, solus Achaica
obliviosi nocte silentii
abducit Abramus tropaea,
et veteres revocat triumphos ?

## XXIX. AD AMICOS BELGAS.

P3_29

Est et remotos non humilis furor
lustrare Belgas. Ducite, Gratiae,
e valle Permessi vagantem
Pegason, alipedemque sacris
frenate sertis. Ut micat auribus,
vocemque longe vatis amabili
agnoscit hinnitu ! Ut dearum
frena ferox hilarique bullam
collo proposcit ! Non ego degener
ignava cursu rumpere nubila,
terrasque despectare, et omni
vincere Bellerophonta caelo.
Jam Jamque retro Carpathon, et procul
frontem nivalis respicio Craci,

turresque Carcinae et vetusti
transilio juga Carroduni,
canamque Peucen. Jam Calais supra
Zethique pennas et Boreae patris,
(quamvis Erechtheam maritis
tolleret Orithyian alis)
Albimque Rhenumque, et liquidum nihil
tangente Mosam praevehor ungula ;
jamjam coruscas Andoverpae
cerno domos dominumque Scaldim.
Ac tu, meorum prime sodalium,
Bollande, salve ! non tibi frigido
infusus amplexu, verenda
colla tero. Juvat usque sacro
haerere vultu : sidereum juvat
multoque foetum numine cernere
pectus, redundantemque pleno
ore deum. Rapit inde Musis
dilecta cervix, et bene pendulo
attrita multum pectora barbito
sublimis Habbequi. O deorum
digne dapes superumque cantu
condire nectar, numinis in tui
sinu reclinem Sarbivium sine
duxisse paullatim beatos
carminis eloquiique fontes.
Quis ille vates cominus obviis
occurrit ulnis ? Pectora candidi
nosco Tolenari ; flagrantes
nosco genas, animamque semper
a dis recentem. Da, pater, aurea
arcana magni numinis hospitem
audire ; da grandes bibisse
aure sonos, animique totum
libare florem. Quis placidas faces
Hortensiani nesciat ingeni ?
Aut quis Dierixi benignis
longe oculis animam eminentem
suique largam ? Quo satis Hoschium,
quo Mortieri, quo pia Vallii, et
libentis amplexu coronem
pectora ? Quo mihi dulcis Hesi ?
Heu, digna prisco nomina saeculo,
magnasque in ipsis conscia vultibus
portare mentes ! Quae sereno
dulce micans sedet ore virtus !
Quae fixa vivae gratia purpurae !
Qui candor alti proditor ingeni !
Salvaque majestate blandum
alloquium placidique mores !
Fertur refuso Deucalion mari,
dum mersa totis saecula promeret
terris, renascentemque jactos
in lapides animaret orbem,
Mosaeque Scaldisque ad vada nescius
informis auri sorte datam retro
jecisse glebam : qua repente
aurea prosiliere saecla, et

tersere gratis nubila vultibus,
irasque purae frontis idoneo
risu remulsere, et fluentes
sponte sua pretiosiore
mores metallo, per Rhodanum, per et
fudere Rhenum. Protinus et solum
vertere fraudes, et remotam
invidiae petiere Thulen.
Hinc ille Belgis oris et eloqui,
cognatus auro, fulgor in omnia
se sponte mittens : ah ! maligno
ni nova progenies rigeret
contacta ferro, nec toties suos
in saeva reges coepta resorbeat
civilis aestus. Quo perennis,
quo miseros rapit unda belli ?
Efferte vires, arma domestico
efferte nido, magnanimum genus,
Belgae leones ; terra tantas
quae genuit, male pascit iras.
Per vestra frustra viscera quaeritis
finem laborum : bella diu strepunt,
quae tertio non rupit hoste
barbarici tonitru Gradivi.
Avita restat busta recentibus
cingi tropaeis : restat Achaicum,
restat coronari tricena
Carpathium Ioniumque classe.
Heu ! Quam patenti naufragum in aequore
nostri periret dedecus otii !
Quantumque de nostra videres,
Phoebe, cadens oriensque fama !
Jam tunc Athenis prisca reponeres
Panaetianae regna scientiae,
bonaeque desacrata menti et
templa tuis, Puteane, Musis,
Felix et alti, Socrate non minor,
veri magister ! Quae tibi porticus
ferventis undaret juventae
agmine ? Quae populis theatra ?
Qui te tonantem bella Demosthenem
heroes alto pectore ducerent ?
Aut quae Melitaeo Sophocles
pulpita succuteres cothurno ?
Tunc me per omnes duceret Aedonas
Dacosque Thracasque et Lelegas pium
vocis Boelmannae tonitru, et
magniloqui grave fulmen oris.
Quo spes inani me rapit aere,
et vector ales ? Quidquid id est, tamen
me vate mox iras perosis
saecla fluent meliora Belgis.

## XXX. AD QUINTUM ARISTIUM.

P3_30
Sic est, Aristi : novimus ardua
sperare tantum. Quis juvenum prior

magnum repentino lacessat
Carpathium Ioniumque bello ?
Immensa magnae tempora gloriae,
augusta vel spe vel facimus metu :
votisque prensamus futura,
non manibus. Sed euntis aevi
occulta postquam nos rapuit fuga,
bellamus omni consilio senes
nullius exempli, et perennem
desidiae trahimus catenam
per posterorum saecula. Succute,
ignava bello succute saecula,
quicumque plus a dis honesti
nominis ingeniique ducis.

## XXXI. AD BALTHASAREM MORETUM.

P3_31
Musas amantis gloria Belgii,
et Lipsianae sidus adoreae,
Morete, non tibi pudendo
ad citharam veniente saxo
grandem virenti Scaldis in aggere
pono columnam ; quam neque turbidus
auster, neque emotus refuso
subruat Oceanus profundo :
sed quam recentes cum violis rosae,
omnisque circum copia narium,
late coronent, aut perennis
pampinus ambitiosiore
irrepat herba : quam procul ardua
pronis adorent saxa Cerauniis,
septemque qui fulcit Triones
Carpatus, et Rhodope, nivalis
columna caeli. Jam mihi nubibus
digressa moles aethera succutit,
currusque stellarum et tonantes
sistit equos, solitoque major
intrat trecentis astra decempedis ;
unde et Latinis celsior Alpibus,
canamque Pyrenen et Afrae
despicias juga celsa Lunae.
Quae prima, vel quae testibus ultima
incido saxis ? Nominis incliti
caligat in portu, et tuarum
Oceanum pavet ala laudum.
Inusitatis summa nitent bonis :
parumque lucet gloria, quae simul
illustrat insignes et imos,
et proprio magis igne pulchra est.
Ignota Tuscis nomina Caesarum
squalent sepulcris : quas tulit extimus
splendor, verecundis sepultae
noctibus occubuere laudes :
et saepe famam Livor ab aureis
detrivit aris. Non Acherontius
offundet ingratas, Morete,
invidiae tibi vesper umbras :

sed ipse Livor nominis in tui
occumbet ortu. Tu dominus tui
divesque, non debes caducae
ludibrium opprobriumque divae ;
ex quo monentis munere Lipsii
multo sonantem Socrate porticum
tiro celebrasti perennem
doctus emi bene posse laudem
impendiosae merce scientiae :
et ipse sacro plurimus otio
palles, et externis amicus
ingeniis breve per nepotes
extendis aevum. Tu tacitam libris
demis senectam : saecula Gratiae
Musaeque, et impubes Apollo et
Mercurius tibi debet annos,
postquam diserti flumina saeculi
Plantinianae margine copiae
late refudisti. Sacrorum
cuncta sedet tibi turba vatum :
omnisque chartae virginis aequore
arundo sudat. Uranies tibi
nocturna certatim laborant
otia pervigilesque lunae.
Nam, si quid uda fluxit arundine,
torrentis aevi corripit impetus,
si non recudentis metalli
duxit onus, celeresque plumbo
tardavit alas : dum gracilis liber,
in certa ductis cornua paginis,
increvit, argutumque chartae
sub gravibus gemuere prelis,
multo sonandis carmine legibus,
ni me Camenae Pindaricas vetent
transire Gades, et vagantem
Herculeae moneant columnae
coeptam canoro non sine carmine
finire molem. Sunt alii tibi
calles, neque unum concitatis
gloria currit iter quadrigis.
Namque et beati nobilis ingeni
claudis capaci saecula pectore,
haeresque Veri ; seu quod olim
Socratici monuere coetus,
seu quod trienni nunc geminat potens
Stagira circo : plurimus eloqui,
pennaeque felix, nec latere
aut humili placuisse vulgo,
sed civis omni nobilium bonus
nosci Senatu. Te Latii pater,
qui nunc et Europes recline
portat onus dominaeque Romae,
doctis clientum coetibus inserit
Urbanus. Io ! tu placitum (pedi
jam stantis inscribo columnae)
principibus populisque sidus.

### XXXII. AD AMICOS.

P3_32

Vixi canoris nuper idoneus
vates Camenis : jam citharae vetor
sermone defunctumque longo
barbiton ingeminare cantu.
Jam feriata fistula cum lyra
dependet unco : rumpite tinnula
vocalis argenti, sodales,
fila supervacuosque nervos.
O quae coruscantum atria siderum
servas, et aurei laeve perambulas
mundi pavimentum, modestae
pelle, Themi, studium Minervae.

--------------------

# LYRICORUM LIBER IV

(1776 vers)

### I. AD EQUITES POLONOS. CUM MONTEM CARPATUM REDUX EX ITALIA INVISERET.

P4_1

Aeterna magnis camina Carpati
inscribo saxis. Discite, posteri,
castisque discendum puellis
et pueris geminate cantum.
Frustra, Poloni, cingimus oppida
muris, et arces addimus arcibus ;
delubra si squalent, et altis
caelituum viret herba tectis.
Frustra caduci fulminis artifex
moles ab alta turre remugiit,
si maesta respondere cantu
templa negant, superumque pridem
sacro stupescunt aera silentio.
Quod si nec idem sit superis honos
templis in isdem, nec sub una

lege superstitiosioris
per ora vulgi religio fremat ;
cives iisdem non bene claudimur
portis, et infelix eumdem
instruimur acies in hostem.
A plebe numen separibus male
placatur aris. Scimus, ut impias
vastata Graiorum per urbes
sacra suis periere rixis.
Fumant propinquae templa Bohemiae :
concussa regni viscera Pannones
flevere collatis in unam
viribus incubuisse stragem.
Hinc inde laevos despice Carpato,
Polone, campos, quos pecorum ferax
Dravusque Savusque et bicornis
frugifero secat Ister amni.
Quanto careret corpore Thracius
regni tyrannus, si bene mutuas
mentes et obligata divis
barbarus extimuisset arma !
Atqui timendae Panno potentiae
vallarat altis oppida moenibus :
pontemque dedignatus, omni
Danubius famularis unda
cingebat urbes. Sed quid inutili
possent scelestae praesidio manus ?
Quas ira non laeti Tonantis
riserit indigetesque divi.
Jam nunc Polonis fata Quiritibus
edico vates : "Dum tibi consona
votisque cantuque et Sabaeo
ture calent precibusque templa,
omnis recurvo Lechia poplite
dum, Virgo, prima, dum media die,
dum te salutamus suprema,
et dubio tibi lucis ortu
septena coram flamma Decembribus
collucet aris ; dum tibi patrium
paeana dicit supplicesque
accumulat pia turba ceras :
noster nivoso Vistula Carpato,
nosterque ab ipso fonte Borysthenes,
labentur in Pontum, nec Austrum
aut Gothicam metuemus Arcton.
Errorne mentes ambiguas rapit,
an clamor aures ? Vox gravior cava
respondit e nube, et serenum
non dubii micuere divi.

II. AD STANISLAUM LUBIENSKI, EPISC. PLOCENSEM, REGNI POLONIAE SENATOREM.
CANIT MUSIS AMICUM ET PATRIAE AMANTEM.

P4_2

Sunt et novarum non vacuae mihi
laudum pharetrae. Prome reconditum,
o Musa, telum. Quem sonoro
Pieridum jaculemur arcu ?

Sit meta Praesul, cui modo Plocia
centum Poloni margine Vistulae
eduxit armenta, et smaragdis
grande pedum Tyrioque vittas
inscribit ostro. Se speciosius
plerumque doctae Palladis artibus
indulget, et Musis amicam
gaudet honor redimire frontem.
Pulchro ligari foedere gestiunt
libris Tiarae. Romuleas super
aras honori, et dedicatis
tura ferunt eadem Camenis
arsisse quondam : sed vigil ambitus,
si possit, ipsas Caelituum solo
permiscet aras, atque ab alto
astra rapit superosque caelo.
Vester, Camenae, vester ad inclitas
stat Praesul aras. Vos adamantinam
sparsististis electro Tiaram,
qua vitreo pretiosus amni
pingit feracem Narvia Moesiam :
vos et bicorni Palladium caput
pressistis auro, et gratulata
carmina personuistis unda.
Vos pectus altum, consiliis simul
abstersit atrae nubila patriae,
mulcetis, et fastidioso
excipitis reducem Senatu.
Quondam et perenni vivere nobilem
donastis aevo, cum tulit aureos
ad astra mores, atque avaro
egregii monitus Pstrokoni
invidit orco, candidus eloqui,
verique dives : vos, miserabili
bellis inhorrescente regno,
consiliis facilique rerum
firmastis usu ; ne popularibus
fatiscat undis, neu male pendulis
dextramque cervicemque rebus
subtrahat. Ille meis legetur
pars magna chartis ; seu tenui lyra
dicam Geloni foederis otia,
majore seu plectro Lechaei
arma virumque canam Gradivi.

III. AD CAESAREM PAUSILIPIUM REGNUM SAPIENTIS.

P4_3

Late minaces horruimus Lechi
regnare Thracas. Latius imperat,
qui solus exemptusque vulgo
certa sui tenet arma voti.
Imbelle pectus parce fidelibus
munire parmis : neu latus aspero
lorica cinctu, neu decorum
arcus amet pharetraeque collum.
An Cimber, an te lectus ab ultimis
Pictus Britannis ambiat, an Geta,

nil allabores ; ipse miles,
ipse tibi pugil, ipse ductor.
Exile regnum, Pausilipi, sumus :
sed se obsequentem qui sibi subdidit,
hic grande fecit, si suasmet
ipse roget peragatque leges.
Armata regem non faciet cohors,
non tincta vulgi purpura sanguine,
aut nobili stellatus auro
frontis apex teretique gemma.
Rex est, profanos qui domuit metus :
qui, cum stat unus, castra sibi facit ;
casumque fortunamque pulchro
provocat assiduus duello.
Non ille vultum fingit ad improbi
decreta vulgi : non popularia
theatra, non illum tropaea,
non volucri movet aura plausu.
Beatus, a quo non humilem gravis
fortuna vocem, non tumidam levis
expressit umquam, curiosis
dum tacitus premit ora fatis.
Ad prima si quis vulnera non gemit,
solo peregit bella silentio :
celare qui novit sinistros,
ille potest bene ferre casus.
Ille, et caducis se licet undique
suspendat auris pontus, et in caput
unius et flammas et undam, et
vertat agens maria omnia Auster,
rerum ruinas, mentis ab ardua
sublimis aula, non sine gaudio
spectabit ; et late ruenti
subjiciens sua colla caelo,
mundum decoro vulnere fulciet :
interque caeli fragmina, lugubre
telluris insistet sepulcrum, ac
incolumis morientis aevi
haeres, ab alto prospiciet, magis
haec magna quam sint, quae pedibus premit,
quam quae relinquet ; jam tum Olympi
non dubius moriturus hospes.
Quo cum volentem fata reduxerint,
nil interest, an morbus, an hosticus
impellat ensis, quo supremum
urget iter. Semel advehemur,
quam navigamus semper in insulam :
seu lata magnis stravimus aequora
Reges carinis ; seu Quirites
exigua vehimur phaselo.
Illo beatum margine me meus
exponat asser. Cur ego sistere ae-
-terno reformidem quietus
litore, si peritura linquam ?

## IV. CELEBRIS POLONORUM, DE OSMANO, TURCARUM IMPERATORE, VICTORIA, PROELIO AD CHOCIMUM DACICO, A. MDCXXI. VI. NON. SEPT. COMMISSO, PARTA. GALESI, AGRICOLAE DACICI, CANTUS INDUCITUR.

P4_4

Dives Galesus, fertilis accola
Galesus Istri, dum sua Dacicis
fatigat in campis aratra,
et galeas clypeosque passim ac
magnorum acervos eruit ossium ;
vergente serum sole sub Hesperum,
fessus resedisse et solutos
non solito tenuisse cantu
fertur juvencos. Carpite, dum licet,
dum tuta vobis otia, carpite,
oblita jam vobis vireta
emeriti, mea cura, tauri :
victor Polonus dum posita super
respirat hasta, sic etiam vigil
saevusque. Pro ! quantis, Polone,
Moldavici tegis arva campi
Thracum ruinis ! Quas ego Bistonum
hic cerno strages ! Quanta per avios
disjecta late scuta colles !
Quae Geticis vacua arma truncis !
Hac acer ibat Sarmata, (Thracibus
captivus olim nam memini puer)
hic aere squalentes et auro
concanus explicuit catervas.
"Heu, quanta vidi proelia, cum Dacis
consertus hastis campus, et horridi
collata tempestas Gradivi,
ambiguis fluitaret armis !
Suspensa paullum substitit alitis
procella ferri ; donec aenea
hinc inde nubes sulfurato
plurima detonuisset igni.
Tum vero signis signa, viris viri,
dextraeque dextris, et pedibus pedes,
et tela respondere telis,
et clypeis clypei retundi.
Non tanta campos grandine verberat
nivalis Arctos : non fragor Alpium
tantus, renitentes ab imo
cum violens agit Auster ornos,
hinc quantus atque hinc impetus aereo
defusus imbri. Miscet opus frequens
furorque virtusque, et perenni
immoritur brevis ira famae.
Diu supremam nutat in aleam
fortuna belli. Stat numerosior
hinc Bessus, hinc contra Polonus
exiguis metuendus alis.
Sed quid Cydones, aut pavidi Dahae
mollesque campo cedere Concani,
quid Seres aversoque pugnax
Parthus equo Cilicumque turmae,
contra sequacis pectora Sarmatae
possent fugaces ? Hinc ruit impiger

Polonus, hinc Lithuanus ; atro
quale duplex ruit axe fulmen :
aut qualis alto se geminus jugo
devolvit amnis, raptaque cum suis
armenta silvis, atque aperto
praecipitat nemora alta campo.
Heu, quale saevus fulminat aeneo
Borussus igni ! Non ego Livonum
pugnas et inconsulta vitae
transierim tua, Russe , signa.
Vobis fugaces vidi ego Bistonum
errare lunas, signaque barbaris
derepta vexillis, et actam
retro equitum peditumque nubem.
Virtute pugnant, non numero, viri :
et una silvam saepius eruit
bipennis, et paucae sequuntur
innumeras aquilae columbas.
Heu, quae jacentum strata cadaverum !
Qualemque vobis Aedonii fuga
campum retexere ! Hic Polonam
mordet adhuc Othomannus hastam :
hic fusus Aemon, hic Arabum manus
confixa telis, hic Caracas jacet
conopeis subter Lechorum,
non bene pollicitus minaci
cenam tyranno. Spes nimias deus
plerumque foedos ducit ad exitus,
ridetque, gaudentem superbum
immodicis dare vela votis.
Quo me canentem digna trahunt equis,
non arma tauris ? Sistite barbarae,
non haec inurbana, Camenae,
bella decet memorare buxo,
majore quondam quae recinent tuba
seri nepotes ; et mea jam suis
aratra cum bubus reverti
praecipiti monet axe Vesper.

## V. PARODIA EX JOA. KOCHANOWII, POETARUM POLONORUM PRINCIPIS, LIB. II. OD. XXIV. CUM SCYTHAE CITERIOREM PODOLIAM INOPINATO INVASISSENT, POPULARITER DECANTATA.

P4_5

Aeterna labes, nec reparabile,
Polone, damnum, Podoliam Getas
impune vastare, et dolendas
pone Tyram numerare praedas.
Eheu, pudendum ! Threicii canes
egere prae se non popularium
armenta damarum, paternis
non iterum reditura lustris.
Pars impudicis vendita Thracibus :
pars Tauricanos jussa sequi Scythas,
eheu ! Gelonorum Polonis
strata canum caluere nuptis !
Manus latronum, ruris et oppidi
ignara, nostras irruit (heu pudor !)

Urbes, quibus pellita raptas
plaustra vehunt revehuntque gazas.
Neglecta quondam sic pecorum lupi
armenta vastant ; quae neque pervigil
servat magister, nec fideli
cura canum comitata gressu.
Quantum Gelono pectoris addimus,
si versa turpi terga damus Scythae,
jam paene laturo probrosas
civibus imperioque leges !
Heu, rumpe somnos, et vigiles age,
Polone, curas, nec revocabili
diffide fortunae, aut fugaci
anteveni tua fata tergo.
Tibi refuso, nunc age, sanguine
pulchri Gelonus nominis eluat
labem, et colonorum cruentis
damna riget lacrimosa rivis.
Surgemus ? An nos distinet aurea
mensae supellex ? Quos manet (heu, dolor !)
Haec mensa convivas ? Is auro
nempe bibat, cui dulce ferrum est.
Nervum recusis in pretium scyphis
bello paremus. Quae male per vias
sparsit platearum, tuendis
haec eadem neget arca muris ?
Haec munerati nos potioribus
servemus ausis. Pectora non prius
quam vulnerantur scuta : frustra
exanimem tegit umbo dextram.
Me prisca lactat fabula, crescere
per ipsa Lechum damna. Sed heu ! recens
ne me refellat fama, Lechum
damna suis cumulare damnis.

## VI. PALINODIA AD PARODIAM JOA. KOCHANOWII. CUM VICTORIA DE TURCIS PARTA RENUNTIARETUR, AC PAULLO POST STANISLAUS KONIECPOLIUS, EXERCITUUM REGNI POLONORUM DUCTOR CAMPESTRIS, SCYTHAS PROSPERIS PROELIIS FUDISSET.

P4_6

Aeterna laudum nec violabilis,
Polone, merces, sanguine Concanos
pacem redemisse, et revictam
uno Asiam Libyamque bello.
Extrema late qua rigido subest
Europa caelo, cornua fregimus
Lunae, cui lustrat subactas
sol oriens moriensque terras.
Io, triumphe ! Lechiadae duces
egere prae se signa fugacium
late Gelonorum, Polonis
non iterum reditura campis.
Pars jussa pacis vivere legibus,
pars foederata cedere Dacia.
Io ! Corallorum Polonis
signa ducum micuere templis.

Gens quae nivali devia Caucaso,
undasque terrasque et dubium manu
concussit orbem, non decoro
anteiit sua fata tergo.
Nocturna quondam sic humili meant
sub antra gressu degeneres lupi,
si quando venantum tumultu
avia personuere lustra.
Quantum cruenti pectoris et Gotho
dememus hosti, qui modo Livonum
terras repentinaque cinctam
terruit obsidione Rigam.
Sed ne secundis, heu ! nimium pii
credamus armis : saepe suum levis
Fortuna victorem reliquit,
et medios secuit triumphos
contemptus hostis. Sic Lacedaemonum,
sic bellicosi moenia Romuli
crevere contemptu, et perennes
gentibus imposuere frenos.
Dat ira vires, quae tumido dolet
ab hoste temni : sunt et inermibus
irae columbis, sunt echinis,
sunt apibus sua tela parvis.
Hic ipse, qui nunc improbus aereas
tutum fluenti Danubio Getes
nectit catenas, cum secundis
Podoliam populatus armis
spernet Lecheae robora dexterae,
me vate, tinget sacrilega Lechos
cervice mucrones. Potenti
sic Nemesi placitumque Fatis.

## VII. AD CAESAREM PAUSILIPIUM.
## DAVIDIS LYRICAE POESI LATINAM NON ESSE PAREM.

P4_7 Jessea quisquis reddere carmina
audet latini pectine barbiti,
audet redordiri superbae
turrigeras Babylonis arces.
Quantus Poloni e vertice Carpati
ruptis inundat Vistula fontibus ;
se fert inexhaustusque tanto
Isacius ruit ore vates.
Utcumque pastor duxit in avias
armenta valles, aut gelido super
Jordane muscosaeque Bethles,
aut liquidis Acaronis undis :
dulci renarrat carmine melleis
manasse retro saecla liquoribus,
vinique rives, et vetustas
lacte novo trepidasse ripas.
Seu forte miles belligeras lyra
transsumit hastas, et superam pio
scutumque loricamque regi
induitur, femorique magnum
appendit ensem, qui male pallida

urat minaci sidera fulgure,
urbesque regesque et tremendo
regna metat populosque ferro.
Seu Christianis grande nepotibus
evolvit aevum, sive adamantinis
decreta caeli fixa valvis ;
sive hominum superumque patrem
stellante mundi sistit in atrio,
cum torvus alti nube supercili
dijudicandorum supremus
consilio stetit in deorum.
Illi et propinquus terror in aureo,
et fas et aequi strenua veritas,
et candor assedere scamno,
et liquidae sine nube leges.
Quis ducat aequo pectine sutilem
e luce pallam ? Quis sub ianthini
tentorio caeli sedentem,
quis rutilis diadema dicat
crinale stellis ? Quis memoret deum
late trahentem syrma per aureum
mundi pavimentum sequaci
sidera conglomerare limbo ?
At quantus inter Niliacas chelyn
intendit undas, cum reducem Pharo
Mosen Erythraeisque ducit
Isacidum pia castra lymphis ?
Hinc ruptus atque hinc artifici lyra
pontus rigenti dissiluit freto, et
circum pependerunt euntes
marmoreis maria alta muris.
Videre stratis te, deus, aequora
videre tonsis, et liquido pede
fugere : porrectas in altum
ipse timor glaciavit undas,
et stare jussit. Non humili sono
terrasque et ictos increpuit polos
armatus aether : hinc rubenti
fulgura dissiluere rima :
interque crebrae verbera grandinis,
undasque flammasque et trepidantium
duella ventorum, superbi
frenigeras Pharaonis alas,
currusque et hastas sanguineum mare
jam non inani nomine proruit
late superfusum : cruentos
servat adhuc memor unda sulcos.
Tum vero victor quadrijugas super
sublimis auras se deus extulit,
longeque frenatis tetendit
sacra Notis Zephyrisque lora.
At laeta circum flumina vitreis
plausere palmis, et velut arietes
succussa certatim supinis
culmina subsiliere silvis.
Haec nos nec olim Sarmatica rudes
ausi Camena, nec modo Dardanas
culti per artes, fortiore,

Pausilipi, recinemus oestro :
satis daturi, si Salomonia
utcumque lenes tendere barbita,
castam Sunamitim et pudicos
carmine sollicitamus ignes.

## VIII. LAUS DANTISCI.
### MEMORATUR INSIGNIS DANTISCANORUM DE CLASSE TEUTONICA VICTORIA, ET FIDES ERGA POLONIAE REGNUM COLLAUDATUR.

P4_8

Quae puppis, aut quis Pegasus ultimas
tibi dicatum carmen in insulas
portabit ? O sidus Borussae
gentis Hyperboreique late
regina caeli ; quae vitrei super
sedisse felix margine Vistulae,
terrasque liquentesque circum
oceani speculata campos,
injecta septem frena Trionibus
docta relaxas et cohibes manu,
utrimque pollens, sive tellus,
sive tuas tremat unda leges.
Gazas tuorum non ego civium
canam profanus : non ego turribus
Baltim coronari, et trecentas
portubus advigilare proras :
non, quod Britannos naviget, aut tuus
Eoa remus verberet aequora :
non quod tuis Ormusianae
mercibus infremuere ripae :
non, aut propinquas digna palatia
aequare nubes, aut superum canam
delubra, non imaginosis
atria conspicienda ceris.
Olim revictos consilio dolos
dicam Plaveni. Cetera distuli,
nondum ausus Amphion perennes
cantibus aedificare muros.
Humana quidquid composuit manus,
humana rursus disjiciet : jacet
ingens Alexandria, et altae
moenia procubuere Romae.
Natura cassos subruit aemulae
artis labores. Heu, male providi !
Casura mortales in altum
exstruimus colimusque, iisdem
mox obruendi. Troja premit Phrygas,
Graios Mycenae : sola fides super
turrita terrarum sepulcra
evenit, et jacuisse gaudet,
quidquid caduco condidit omine
non sola virtus. Oppida civium
virtus tuetur, non aena
claustra Semiramiaeve turres,
non sulfuratis foeta tonitribus
tormenta, non arx clausa decemplicis

errore muri ; sola diros
Urbe fides prohibebit hostes.
Hac arte lato Teutonas aequore,
urbs magna, fundis ; quam neque callidum
perrupit aurum, nec dolosi
munera blanditiaeque belli.
Nam fas, et aequi prisca severitas,
simul potentum limina civium
munivit, et dona et repulsos
arma retro retulere gressus.
Maestum locuto jam redeuntibus
signis magistro : "Nunc ego (pro, pudor !)
ferar per Europen celebris
fabula, dedecorasse sacri
leges Gradivi, et degenerem dolo
armasse dextram. Non ego (pro, dolor !)
ferro Borussorum, nec auro
dedecores animos probavi ;
utrimque foedus. Classis in ultimam
disjecta Thulen, et profugae rates
heu, turpe ! Vulgabunt Plaveni
opprobrium : vice plus quaterna
temptata nostris moenia classibus
stetisse, et auri muneribus meas
ferrum regessisse in carinas,
non iterum reditura dona.
Quem foederatis nunc ego nuntium
mittam Sicambris ? Quos ego Teutonum
fastis recensebo triumphos ?
Quae patriis spolia ampla fanis ?
Frustra pudendis fama superstitem
narrat ruinis. O ego naufragus
perisse dicar, donec alter
me melior pavido triumphus
excuset orbi : si tamen hoc quoque
fortuna versa jam negat orbita,
me vera non falso probrosum
naufragio Libitina condat.

## IX. AD ROMAM, BONARUM ARTIUM NUTRICEM.

P4_9

Secunda caelo Roma, perennia
quam jura dantem quadrijugo vehit
hinc Africa Europeque supplex,
inde Asia Americeque curru,
olim cruentis non sine proeliis
frenare terras aspera, nunc potens
pacis sacramento quietae
belligeras cohibere gentes.
Nec omne terram prospicit undique
caelum, nec omnis parturit omnia
tellus, et in magnis relucet
discolor ingeniis venustas.
Te mite caelum, te Genius loci,
et quae bonorum copia plurimo
se fundit e cornu, colendis
moribus ingenioque blandam

fecere matrem. Non tibi nubilae
mentes : sed, album quae generosius
bibere solem, sunt aperto
pectora candidiora caelo :
verique pugnax et nivei vigil
pubes honesti : fulgurat indoles
vultuque cultuque et fideli
non dubius sedet ore candor.
Sunt et benignae quae bona pectoris
ornant Camenae. Non veteres ego
vates et ignotos amico
carmine sollicitabo manes :
testis mearum vivida "Bencii"
Thalia laudum : testis amoenior
argenteis "Gallutiorum"
barbitos insonuisse nervis :
testis, feroci qui premit impetu
Papiniani proelia pectinis
"Donatus" : heu testis tragoedi
postuma Calliope 'Stephoni',
divesque 'Stradae' cultus, et integer
'Guinisianus' candor, et aurei
lepos Petruci, aut qui Latino
dulce fluit 'Godefridus' ore.
Quamquam nec armis desit idonea
campoque pubes : et tibi Thracium
deproeliaturos tyrannum
magnanimos Latium nepotes
cultuque et almis educat artibus ;
qui regna Cypri, qui Rhodon asserant
armis, Palaestinosque colles
et Solymi juga parricidae.
Vidi Latinas, vidi ego ludicro
late phalangas fervere proelio,
primi rudimentum Gradivi,
dum Ligurum Allobrogumque quondam
urbanus acres non sine numine
componit iras, cum fera militum
Ferrara vicinum quietis
Eridanum monet esse ripis.
Heu, quanta bello robora ! Non mihi
indictus olim vixeris, altius,
"Torquate", fraterna sonari
digne lyra, comitum propago,
"Torquate", regum. Te Latiis gravem
Bohemus armis, te validum leves
sensere Daci : tu, perempti
non humilis socius "Buquoi",
tunc Vaticano primus in agmine
pugnam docebas : qualis adhuc rudem
Chiron Achillem, qualis alto
Aemona Protesilaus Haemo.
Dicent columnas, qui gravioribus
dicent Camenis edomitum mare, et
opima Naupacti tropaea, et
Ausonio pia bella ponto.
Non et sonandus non geminus pari
ursinus oestro ? Sed bene credidit

imbelle plectrum, non pharetram,
aut habilem mihi Phoebus arcum.

## X. AD Q. DELLIUM.
### NON TAM POPULARI EXEMPLO, QUAM POTIUS RATIONIS DUCTU, VITAM ESSE INSTITUENDAM.

P4_10

Delli, si populo duce
vitae degenerem carpimus orbitam,
erramus ; procul arduis
virtus se nimium seposuit jugis.
Illuc quo via tritior,
hoc est certa minus. Longus inutili
error nectitur ordine :
et mores populum, non ratio trahit.
Casa vivitur ; et viam,
non metam premimus, qua praeeuntium
per vestigia civium
insanae strepitus plebis, et improbae
voces invidiae vocant.
Exemplis trahimur et trahimus retro :
soli nemo sibi est malus.
Nulli vita sua est : dum vaga postero
turbam turba premit gradu,
sunt primi exitio saepe sequentibus.
Me Parnassus et integer
plebeiis Helicon coetibus eripit
sublimem : unde vagantium
errores animorum et male desidis
vulgi damna patent. Juvat,
ex alto intrepidum colle jacentia
despectare pericula, et
cautum non propriis vivere casibus.

## XI. AD SIGISMUNDUM LAETUM.
### GLORIAE INANIS DESPICIENTIAM ET SILENTIUM COMMENDAT.

P4_11

Laete, quid cassis sequimur fugacem
gloriam telis ? Fugit illa Mauri
more, vel Parthi, regeritque ab ipso
vulnera tergo.
Hospes unius negat esse tecti
garrulus vulgi favor : hic inani
aure rumores legit, inde veris
falsa remiscet.
Hic velut nidum positurus haesit ;
mox, ubi vano vacuum tumultu
pectus ille sit, tacitis in altum
subsilit alis.
Vera laus sciri fugit. Ipse pulcher
se sua Titan prohibet videri
luce : qui totus potuit latere,
major habetur.
Qui premit sacram taciturnitate
pectoris gazam, bene non silenti

tutus in vulgo, bene suspicaci
regnat in aula.
Praeterit mutas bene cymba ripas ;
quae simul raucis strepuere saxis,
in latus cautam sapiens memento a-
-vertere proram.

## XII. AD IANUM LIBINIUM. SOLITUDINEM SUAM EXCUSAT.

P4_12

Quid me latentem sub tenui lare
dudum moretur, cum mihi civium
amica certatim patescant
atria, saepe rogas, Libini.
Me plenus, extra quid cupiam ? Meo
in memet ipsum clausus ab ostio,
in se recedentis reviso
scaenam animi, vacuumque lustro
vitae theatrum ; sollicitus mei
spectator, an, quae fabula prodii,
matura procedam, et supremo
numinis excipienda plausu.
Omnes recenset Numen, et approbat
vel culpat actus : quo mea judice
si scaena non laeve peracta est,
sim populo sine teste felix.
Odi loquacis compita gloriae
plebeia : quam cum fama faventibus
evexit auris, saepe misso
invidiae stimulata telo,
aut invidentum territa vocibus,
parum obstinatis et male fortibus
dimittit alis. Illa nudam
plangit humum, lacerosque saxis
affligit artus. Me melius tegat
privata virtus, et popularia
numquam volaturum per ora
celet iners sine laude tectum.
Semota laudem si meruit, vetat
audire virtus. Tutius invidi
longinqua miramur : propinquis
laevus amat comes ire livor.

## XIII. AD CAESAREM PAUSILIPIUM.
## ADVERSA CONSTANTI ANIMO FERENDA ESSE.

P4_13

Si, quae flent mala, lugubres
auferrent oculi, Sidoniis ego
mercarer bene lacrimas
gemmis, aut teretum merce monilium.
At, ceu rore seges viret,
sic crescunt riguis tristia fletibus.
Urget lacrima lacrimam ;
fecundusque sui se numerat dolor.
Quem Fortuna semel virum
udo degenerem lumine viderit,
illum saepe ferit. Mala

terrentur tacito fata silentio.
Ne te, ne tua fleveris,
quae tu, care, vocas, Pausilipi, mala.
Quam pellunt lacrimae, fovent
sortem : dura negant cedere mollibus.
Siccas si videat genas,
durae cedet hebes sors patientiae.

## XIV. AD CRISPUM LAEVINIUM.
## ROGATUS CUR SAEPE PER VIAM CANERET, RESPONDET.

P4_14

Cum meam nullis humeros onustus
sarcinis tecum patriam reviso
laetus, et parvo mihi cumque dives
canto viator ;
tu siles maestum : tibi cura Musas
demit, et multi grave pondus auri,
quaeque te quondam, male fida rerum,
turba relinquet.
Dives est, qui nil habet, illa tantum,
quae potest certa retinere dextra,
seque fert secum, vaga quo migrare
jussit egestas.
Quid mihi, qui nil cupiam, deesse
possit ? Umbrosi placet una Pindi
vallis. O sacrum nemus ! O jocosae
rura Camenae !
Quae meos poscet via cumque gressus,
Delphici mecum, mea regna, colles,
itis, et fessum comitante circum-
-sistitis umbra.
Me Gothus saevis religet catenis,
me Scythes captum rapiat ; soluta
mente vobiscum potero tremendos
visere reges.

## XV. AD MUNATIUM.
## NIHIL IN REBUS HUMANIS NON TAEDIO PLENUM ESSE.

P4_15

Nil est, Munati, nil, iterum canam,
mortale nil est immedicabilis
immune taedi. Clarus olim
sol proavis atavisque, nobis
parum salubris ; nec macula reus
damnatur una. Quidquid in arduo im-
-mortale mortales Olympo
vidimus, invidiae caduca
fuscamus umbra. Non placet, incolis
qui sol avitis exoritur jugis,
aut prisca quae dudum paternam
Luna ferit radiis fenestram.
Caelo quotannis, et patriis leves
migramus arvis : hunc tepidae vocant
brumae Batavorum ; huic aprici
Ausoniae placuere soles.
Frustra : fideles si dominum retro

18 morbi sequuntur, nec tacitus dolor
19 absistit, aut Veiente curru,
20 aut Veneta comes ire cymba.
21 Tandemque nobis exsulibus placent
22 relicta. Certam cui posuit domum
23 virtus, huic numquam paternae
24 fumus erit lacrimosus aulae.
25 Virtus, agresti dives in otio,
26 sese ipsa claudit finibus in suis
27 plerumque, et insonti quietum
28 in palea solium reclinat.

## XVI. AD EQUITES POLONOS.
## ILLOS QUAM MAXIME CAMPESTRIBUS PROELIIS IDONEOS ESSE.

P4_16 v.1 Nec Lechus, neque Lechicis
2 proles ille fuit nata nepotibus,
3 primus qui docuit suis
4 urbes Sarmatiae fidere machinis.
5 Campestres bene Sarmatae
6 campo bella gerunt : sub Jove libero
7 natam militis indolem
8 frustra belligero clauditis otio.
9 Arctis oppida moenibus
10 virtutem cohibent, dum male fortibus
11 addunt consiliis moram, et
12 crescentes hebetant Martis adoreas.
13 Sic non vincimus, ut diu
14 vincamur ; miseri, ni vetet exteri
15 campestris manus auxili
16 hostem quassa diu cingere moenia,
17 aut vis vivida civium,
18 rumpentis nebulam more tonitrui,
19 clauso proruat oppido,
20 et murum solido pectore suppleat.
21 Agrestes melius ferae,
22 quarum non vacuis jurgia sub jugis,
23 sed plano generosior
24 campo pugna calet. Prodit inertibus
25 antris impavidus leo,
26 hostem conspicuis sternere collibus.
27 Aer ingenuis patet
28 in pugnas aquilis. Mollibus evolat
29 nidis, cum violentior
30 visis accipiter pugnat oloribus.
31 Quid nos picta leonibus
32 frustra parma tegit ? Cur Jovis alitem,
33 aut cur accipitrem cavo
34 gestemus clypeo, si male Martiae
35 respondet nota dexterae,
36 nec pulso resonat gloria pectori ?
37 Quod si non vacuum genus
38 jactamus timidi, cur fugimus sacrum
39 immiscere periculis,
40 Caelo teste, caput, non sine stemmate ?
41 Magno magna ruant loco,
42 aut vincant. Videat sol melius mori,

quod nasci bene viderat,
et laudis spatium mors habeat suae.
Hac virtute Chaber vagum
sub consanguineae jura Poloniae
jussit ire Borysthenem,
captivique super marginibus Salae,
et Silesidos Oderae,
metas imperio fixit aeneas,
qua certo pede gloriam
stantem non stabilis praeflueret liquor.
Nos foedam Lare patrio
aetatem tegimus, solliciti parum,
quam vicinus aret Gothus,
vel quam frugiferae rura Podoliae
creber diripiat Scythes :
at non et madidi sub jubar Hesperi
inter pocula nescii
noctem sanguineo ducere jurgio.
Quod si prima senes hiems
admovit tepido cum pueris foco,
patrum dicere proelia
hausto non humiles historici mero,
fecundam scelerum pii
aetatem querimur, quam nova posterum
deturpavit inertia.
Frustra : si positis mox eadem patres
inter pocula liberis
flemus, quae miseri saecula fecimus.

## XVII. AD VIOLAM.
## KALENDIS MAII QUOTANNIS PUERI JESU CAPUT CORONATURUS.

P4_17

Aurora veris, punicei recens
regina campi, cinge mei, precor,
frontem puelli. Cur sub auro
parvulus, heu ! Gravibusque gemmis,
aut sub prementis sidere purpurae
laboret ? O cui pauperies mei
regnum dicavit, necte sertum,
necte meo diadema regi.
Parvo coronat munere se deus
plerumque, si quae paupere dat manu
dives voluntas : dona magnis
parva animo placuere magno.

## XVIII. AD ROSAM.
## QUOTANNIS KALENDIS JUNII D. VIRGINIA CAPUT CORONATURUS.

P4_18

Siderum sacros imitata vultus,
quid lates dudum, rosa ? Delicatum
effer e terris caput, o tepentis
filia caeli.
Jam tibi nubes fugiunt aquosae,
quas fugant albis Zephyri quadrigis
Jam tibi mulcet Boream jocantis
aura Favoni.

Surge : qui natam deceant capilli,
mitte scitari : nihil, heu, profanae
debeas fronti, nimium severi
stemma pudoris.
Parce, plebeios redimire crines.
Te decent arae : tibi colligenda
virginis late coma per sequaces
fluctuat auras.

## XIX. AD JESUM OPT. MAX. EX SALOMONIS EPITHALAMIO. I, 7.

P4_19

Dicebas abiens : "Sponsa, vale" ; simul
vicisti liquidis nubila passibus.
Longam ducis, Iesu,
in desideriis moram.
Ardet jam medio summa dies polo :
jam parcit segeti messor, et algidas
pastor cum grege valles
et pictae volucres petunt.
At te quae tacitis distinet otiis,
o Jesu, regio ? Quis mihi te locus
caecis invidet umbris,
aut spissa nemorum coma ?
Scirem, quo jaceas caespite languidus !
Quis ventus gracili praeflet anhelitu !
Quis rivus tibi grato
somnum praetereat sono !
Ah ! ne te nimio murmure suscitent,
nostrae diluerent flumina lacrimae,
et suspiria crudis
miscerentur Etesiis.

## XX. AD D. VIRGINEM, CARMEN VOTIVUM.

P4_20

Regina, terris non humili deum
enixa partu, cui vigiles comam
flammae coronavere, et albo
sidera circumiere gyro ;
utcumque viles respicis aurea
e nube terras, lenior excipe,
non ante testudo locutis
quae mea cumque sonat Camenis.
Me torva circum mugiat horrido
Malea ponto, me fera sorbeat
Charybdis ; enantem per ipsas
eripiet tua dextra mortes.
Importuosi seu jubar aequoris
audire gaudes, seu pelagi Pharos,
seu certa tu mavis vocari
ambiguis Cynosura nautis :
seu navis, olim credita naufragum
servasse saeclum, cum scelerum pater
ultor superfuso gigantum
obrueret genus omne caelo.
Me pestilenti Sirius halitu
afflet : caducum tu bene proteges

umbra clientem ; seu comanti
dulce vires terebinthus auro,
seu celsa gaudes cedrus in arduo
natura Sina, seu Libano super
cupressus, aut late Cadanis
populus adspicienda campis.
Dicam et minoris carmine barbiti
inter severas nobile lilium
florere spinas, et comantem
flore deo tremuisse virgam.
Cingat frementum me globus hostium,
dicere denso exercitus agmine
alas et aequalem reductis
cornibus explicuisse campum :
dicere, virgo, turris, eburnea
dicere turris, quam nec aeneus
perrumpat imber, nec ruinam
flamma gravi meditata plumbo.
Quod si canoro carminis alite
Indis morantem Musa cubilibus
hortetur exire, et nigrantes
luce nova reparare terras ;
non et benignis respuis auribus
aurora dici. Surgis et integro
nunc Luna vultu, nunc Eoo
Cynthius inveheris triumpho.
Quocumque gaudes nomine, me tuum
tuere, mater, si mihi per tuas,
o virgo, non immunis aras
mica salit Cilicesque nimbi.
Hic Vaticanis non sine laureis
appendo functum carmine barbitum, et
olim Polonorum tropaea
sollicitam cecinisse buxum.

## XXI. EX SALOMONIS EPITHALAMIO, II, 10 SQQ.

P4_21
Fallor ? An Elysii laeva de parte sereni
me mea vita vocat ?
Surge, soror ; pulchris innectito lora columbis ;
pulchrior ipsa super
scande rotas, Libanique levem de vertice currum :
has, age, flecte domos.
Ad tua decidui fugiunt vestigia nimbi :
turbidus imber abit.
Ipsa sub innocuis mitescunt fulmina plantis :
ipsa virescit hiems.
Interea sacris aperit se scaena viretis,
sub pedibusque tibi
altera floret humus, alterque vagantia late
sidera pascit ager.
Hic etiam trepidi pendent e rupibus haedi
praecipitesque caprae,
hinnuleique suis, passim dum flumina tranant,
luxuriantur aquis.
It leo cum pardo viridis de colle Saniri,
mitis uterque regi,

cumque suo passim ludunt in montibus agno
exsuperantque juga.
Plurimus hos circum tacito pede labitur amnis,
pumicibusque cavis
per violas lapsae, per declives hyacinthos,
exspatiantur aquae.
Lene fluunt rivi : muscosis lene susurrus
murmurat e scopulis.
In vitreo pisces saliunt hilares crystallo,
dulce queruntur aves.
Nec vero, si maesta placent solacia, caelo
flebile murmur abest :
nam sibi dum vestro regemunt ex orbe palumbes,
huc sonus ille venit.
Sic dum se viduo solatur carmine turtur,
gaudia nostra placent.
Cetera non desunt. Pronis vindemia pendet
officiosa botris.
Hic etiam vulgo violas, albentia vulgo
ungue ligustra leges.
Ipsa tibi, leti succos oblita priores,
mitia poma cadent :
ipsae matura labentur ab arbore ficus,
percutientque sinum.
Interea falcem vindemia nescit, aratrum
saucia nescit humus.
Ipsae sponte virent segetes ; innoxius ipse
messibus albet ager.
Praebent hospitium platani ; praebet formosos
graminis herba toros.
Caedua Panchaeos sudant opobalsama nimbos ;
et genialis odor
adspirat, quoties nutantibus hinc atque illinc
ingruit aura comis.
Surge : quid indignos ducis per taedia soles ?
Surge, age, cara soror.
Ecce, tuis ipsae jam circum frena columbae
ingemuere moris.
Huc age, formosas formosior ipsa columbas
hospita flecte soror.

## XXII. AD VIRGINEM MATREM.

P4_22

Quando te dulci sine prole solam
miror, Eoo reducem cubili
miror Auroram, croceo rigantem
aethera nimbo.
Mater at nato simul adstitisti,
integram miror radiare lunam,
ora debentem radiosque et almo
lumina soli.
Cinge maternis puerum lacertis :
sol eris, vel quae vigil explicatis
siderum turmis acies tonantem
circumit aulam.

## XXIII. AD CICADAM.

P4_23

O quae, populea summa sedens coma,
caeli roriferis ebria lacrimis,
    et te voce, cicada,
    et matum recreas nemus ;
post longas hiemes, dum nimium brevis
aestas se levibus praecipitat rotis,
    festinos, age, lento
    soles excipe jurgio.
Ut se quaeque dies attulit optima,
sic se quaeque rapit : nulla fuit satis
    umquam longa voluptas :
    longus saepius est dolor.

## XXIV. AD D. VIRGINEM MATREM.

PAEAN MILITARIS POLONORUM,
QUEM DIVUS ADALBERTUS, ARCHIEPISCOPUS GNESENSIS, POLONORUM APOSTOLUS,
CONSCRIPSIT, REGNOQUE POLONIARUM TESTAMENTO, LEGAVIT.
POLONI, ACIE EXPLICATA, MANUM CUM HOSTE COLLATURI POPULA RITER DECANTANT.
PETRUS SKARGA, OLIM &SIGISMUNDI 111. POLONOROM REGIS THEOLOGUS,
IN VITA D. ADALBERTI RECENSUIT ET EXPLICUIT.
AUCTOR EX POLONICO CARMINO IN LATINUM VERTIT.

P4_24

Diva, per latas celebrata terras
caelibi numen genuisse partu,
Mater et Virgo, genialis olim
    libera noxae :
dulce ridentem populis puellum
prome formosis, bona mater, alnis :
expiaturum populos manu de-
    -mitte puellum.
Apta dum nostris venit hora votis,
supplices audi, meliore mentes
erudi voto ! Socia puellum
    voce precamur.
Integram nobis sine labe vitam,
prosperam nobis sine clade mortem,
Christe, stellatasque, Maria, divum
    annue sedes.
Numinis natam tibi crede prolem,
qui pius credi cupis ! Ille multis
pressus aerumnis populos ab imo
    eruit Orco.
Ille non umquam pereuntis aevi
scripsit haeredes ; et inobsequentis
praesidem leti cohibet severae
    lege catenae :
ausus indignum tolerare letum,
sontis Adami memor. Ille necdum
praevius ductor penetrarat alti
    limina caeli,
donec informi deus e sepulcro
prodiit victor : bene jam supremo
assides, Adam, solio perennis
    hospes Olympi.

Nos tuam plebem sobolemque sanctis
alleges campis, ubi regna divum
gaudii torrens et inundat almi
flumen amoris.
Saucium nobis latus et cruentas
ille plantarum manuumque plagas
sustinet : nobis medicos latus de-
-stillat in imbres.
Hoc fide concors animique major
turba credamus, scelus eluisse,
et salutarem patuisse nobis
vulnere Christum.
Ite : jam foedam (monet hora) labem,
ite, mortales, prohibete : magno
carmen et totam sine fraude mentem im-
-pendite regi
Tu tua, Virgo, sobolemque regemque
aetheris, leni prece, ne malorum
turbo per praeceps cumulosque sese
explicet omnes.
Siderum cives, facilem precati
Siderum regem, reserate caelum
civibus terrae, socialis olim
turba futuri.
Ille nos, Jesu, locus, illa tecum
regna conjungant, ubi nos canentum
caelitum pridem vocat in beatam ex-
-ercitus aulam.
Sic erit, votis iteramus omnes :
sic erit. Septem bona verba laeto
profer eventu, pater, et beatos
pande penates.

## XXV. DIALOGUS PUERI JESU ET VIRG. MATRIS.CARMEN VOTIVUM, EX CANTICO CANTICOR. C. I. IV. V. VI. VII.

P.

P4_25

Virgo, sidereis pulchrior ignibus,
auro fulgidior, lucidior vitro,
rubro gratior ostro,
alba candidior rosa.

V.

Jesu, purpureo clarior Hespero,
luna splendidior, sole serenior,
vernis gratior arvis,
hiberna nive purior.

P.

Sic fulges oculis, ut geminus prope,
qui cum lusit agris fons Eseboniis,
clausum stare quieto
se miratur in otio.

V.

Sic luces oculis, at geminae prope
lucent, seu fluvio, sive liquentibus
lotae lacte columbae
assedere canalibus.

P.

Ornant ingenuae colla tibi comae,
Lydis lota velut purpura fontibus,
summis aut Galaadi
declines capreae jugis.

V.

Ambit pulchra tuas caesaries genas,
qualis frondifluis palma viret comis,
qualis corvus in ipsis
plumarum tenebris nitet.

P.

Virgo, lene tuis verba fluunt labris,
Hyblaeo veluti mella fluant favo,
aut demissa solutis
errent flammea taeniis.

V.

Jesu, dulce tuis ora natant sonis,
infuso veluti pocula Caecubo,
aut humecta caducis
gemment lilia roribus.

P.

Mammae sunt similes hinnuleis tuae,
qui tondent teneris lilia morsibus,
dum se fessus anhelo
inclinet senio dies.

V.

Certant, Nate, tuis uberibus botri ;
Botri, quos viridis parturiit Cypros,
aut quos educat almis
Engaddus viridariis.

P.

Quisquis, Virgo, tuas adspiciet genas,
poenis adspiciet mala rubentia
ramis : cetera claudunt
imo se bona pectore.

V.

Quisquis, Nate, tuis haeserit in genis,
pictam dispositis artifici manu
liliisque rosisque
emirabitur aream.

P.

Qui te non amat est barbarior feris,
pardis asperior, tigride saevior,
impacatior ursis,
iracundior anguibus.

V.

Qui te non amat, est marmore durior,
saxis horridior, surdior aequore,
inconstantior auris,
immansuetior ignibus.

## XXVI. AD AURAM.

P4_26

Aura, quam veris tepor et serena
Thraciae vectant animae quadriga,
huc ades, qua te vocat hospitali
populus umbra.
Hic tibi liber Zephyrus comas per-
-sultet et ramos : vagus hic supinas
increpet frondes, teneroque vexet
gramina lusu.
Dum, per apricos revoluta flores,
vitreae somnum fuga suadet undae,
meque suspensamque comante perfla
barbiton alno.
Sic tibi caelum lepidoque soles
rideant vultu : pede sic liquenti
ros tibi manet, tacitaque se sus-
-pendat in herba.
Sic tibi Seres Cilicesque campi
sospiti centum geminent odores :
sic adulantes violis rosarum
pecte capillos.
Sic, meo chordas quatiente plectro,
inter admisso digitos acutum
sibilo ludas, lyrico comes po-
-etria vati.

## XXVII. NOAE VATICINIUM.
## LUXURIAM PRAETERITI ET IDOLOLATRIAM FUTURI SAECULI DEQUERITUR.

P4_27

Demersa late saecula cum Noe
enavigaret, naufraga dicitur
e puppe prospexisse regna,
et male jam pelago latentes
flevisse terras : "Saecula, saecula

libido foedis mergit amoribus,
totoque restinguendus orbis
oceano, simul omnis uno
peccavit igni. Scilicet impiis
polluta regum limina nuptiis,
spectante frustra sole, possent
stare diu ? Pudor, heu ! nefasque
nascentis aevi, turpis amor, nihil
intaminatum liquit : et innocens
natura deformis nocenti
supplicium grave pendit usu.
Incesta foedi fecimus omnia,
et digna perdi. Marmoreis ubi
urbes coronatae colossis ?
Aut ubi turrigerae potentum
arces gigantum ? Queis, modo liberi,
festo choreas agmine plausimus,
delphines insultant plateis,
et vacuas spatiosa cete
ludunt per aulas, ac thalamos pigrae
pressere phocae : defluit illito
aurum lacunari, et refixae
ad pelagus rediere gemmae.
Jam nec vetustis sculpta scientiis
famosa moles perstat, et aureis
inscripta majorum sepulcris
funditus occubuere saxa.
Ingens egestas, et simul omnium
jactura rerum, flagitium, dei
cultuque delubrisque et aris,
heu, miserum male nudat orbem !
Jam jamque coget saecula proprium
nescire numen : nec scelerum grave
pensare permittet nepotes
supplicium. Simul omne ripas
habebit aequor, rursus et inclita
tellus in herbam surget, et aureus
Titan inaurabit recenti
arva die, populisque magnus
crebrescet orbis. Non eadem fluet
aetas, et auro deterius diem
procudet argentum, ac sonoro
belligerum gemet aere tempus ;
tandemque ferro saecula corruent.
Et, qui malorum summus apex, dei
oblita me rerum parentem
sacrilego colet igne tellus :
falsumque numen (pro, pudor !) impio
narrabor orbi, ceu veteri Chao
hac puppe discrevisse, et omnem
naufragio recreasse mundum :
mox stare terras, currere flumina,
frondere silvas, arva virescere
jussisse paullatim, et nitentes
frugibus explicuisse campos.
Me Bactra Caelum, me Babylon Jovem,
me Susa Solem, me Pharii suum
dicent Osirim : me bifrontem

Ausoniae colet ora Janum.
At, o potenti qui regis aethera
terresque sceptro, verte, pater, pater,
undasque terrasque, et trisulcum
in caput hoc jaculare telum,
foedusque jam nunc stragibus obruar
labantis aevi ! Barbaricis ego
solus supervivam pudenda
materies titulusque sacris ?

## XXVIII. AD DIVINAM SAPIENTIAM.
## CUM NOVI E GERMANIA, GALLIA ITALIAQUE MOTUS BELLICI NUNTIARENTUR.

P4_28

O mens, quae stabili fata regis vice,
ut nos pulchra tui seria consili,
an te nostra vicissim
delectent, age, ludicra ?
Nam, tu cum varia spargis opes manu,
effusas lepido non sine jurgio
raptamus, puerorum
sparsas turba velut nuces.
Hic, cum sceptra capit, frangit : hic, antequam
gestet, fracta videt. Fluctuat, heu ! miser,
alternaque potentum
mundus diripitur manu.
Punctum est, sors avidis quod secat ensibus
inter tot populos. Hoc precor unicum
pauper : Secum avidi dum
pugnant, tecum ego rideam.

## XXIX. AD EQUITES POLONOS. A. MDCXXX.

P4_29

Quos sera gignent saecula posteros,
narrabo vates. Stemmata patriis
delete ne ceris, Quirites,
egregiis geminanda factis
olim minorum. Si quid avi rudes
inominata gessimus alite,
reducet in laudem nepotum,
auspicio meliore, virtus.
Non scuta frustra, non galeas decent
gryphesque pardique ; atque leonibus
vexilla nequidquam et chimaeris
Sarmaticae micuere parmae.
Quis ille ductor Baltida Lechicis
incendit armis ? Quod juvenum recens
examen Arctoum Polonis
increpat oceanum sub armis ?
Jamque et minaces bella fremunt Gothi :
hinc Martis atque hinc rupta tonitruis
immugit unda : jam propinquae
proelia conseruere prorae.
Pro ! quantus armis in media quoque
formosus ira ! Quantus in arduum
assurgit ensem ! Quantus hasta
per Gothicas juvenis phalangas

exsultat ! O lux, o veterum recens
sidus Jagellonum, o patriae pater,
primasque bellantis per undas
Sarmatiae Cynosura, salve !
Turrita saxis se tibi Suecia
marisque pandit : jam tibi patrii
cultus, et heroos revinxit
laurigerum diadema crines.
Jam Vilna late, jam veteris Craci
festo plateae carmine personant :
tu Tiphys alter, tu severus
belligero dare frena ponto.
Princeps agrestes, et nimium diu
terrae tenaces Martis adoreas
latum refudisti per aequor,
ausus humo pelagoque magnum
miscere nomen. Te niveis super
attollet altum fama curulibus,
qua vesper atque aurora sacrum
purpureo lavit amne crinem.
Haec tum, madenti vespere, Sarmatae,
canenda seris bella nepotibus
bis terque sub noctem lyraque et
Nisoviis iterate nervis.
Cras aut biremem, aut rursus equum citi
scandetis. Eheu ! quae nova barbaris
effusa tempestas ab oris
fulminat ? Agricolasque late
camposque frugesque et pecorum procul
armenta vasto proruit impetu ?
Impune, pro pudor ! Polonas
Thracia depopuletur urbes ?
At, o virorum quisquis amicior
Marti, citato scande ratem pede :
qua pontus et neglecta Thracum
claustra vocant vacuaeque turres,
perrumpe muros, dirue moenia,
invade portas, sterne solo domos :
heu ! sterne Byzanti pudendis
templa diu famulata sacris.
Io, triumphe ! Sarmata Bosporo
et belluosae frena Propontidi
injecit, Eoumque seris
Imperium reparavit armis.
At vos secunda tempora, milites,
umbrate lauru, dum gemino super
procedit Arctous triumpho
victor, Agenoreumque retro
frontis minorem et compedibus gravem
ducit tyrannum. Dicite consono
utrimque plausa : "Tu tuorum,
tu patriae pater atque Caesar !"
Post haec avito pax bona parieti
suspendet enses, et patrias novae
narrabit ad taedas maritae
emeritus sua bella conjux.
Mox et, quod atra Mars rapuit manu,
castae reponent prole puerperae ;

novique reptabunt per arcus,
scuta per et galeas nepotes,
jam nunc protervi, nunc etiam truces
ad saeva ferri fulgura : sed diu
neglecta pacabunt juventam
otia Palladiique ludi.
Sua quietus quisque sub arbore
cenam pudici cum socia tori
gnatisque prosternet, propinquo
pocula praetereunte rivo.
Non aut malarum jurgia litium
emptusve judex, sed bona veritas
componet iras, aut jocosi
vina super epulasque amici.
Non spes honorum, non studium lucri
cogent potentem visere curiam,
tractusque longinquos viarum,
et viduos numerare menses.
Quem mane siccum prima dies domo
dimittet, illum sera dies domum
potum reducet, et maritae
excipient sine lite cenae.
Mox ad paterni ruris amoenior
surget labores : sive suas Leo
aestivus ad messes vocabit,
sive redux ad aratra Taurus.
Sed ipsa messis sponte fidelibus
insurget agris : non segetem graves
urent avenae ; non feraces
suget iners paliurus agros :
sed alba rubris lilia cum rosis,
canaeque nardi flantibus annuent
hinc inde ventis, atque in omni
alta Ceres fluitabit arvo.
Tunc ipsa labens aethere faustitas
passim per urbes nectet et oppida
laetas Napaearum choreas ;
quam niveus pudor et solutis
per colla passim simplicitas comis,
rerumque plenis copia cornibus,
priscoque gavisae sequentur
Naiades Dryadesque cantu.
Haec vera dicar tunc ego praescius
dixisse vates ; tunc mea carmina
discenda grandaevi parentes
virginibus puerisque dicent.
Frustra : nam in orna surdus et immemor
jacebo pulvis. Me tamen integrae
lauri coronabunt jacentem, et
circum hederae violaeque serpent.

## XXX. AD JANUSSIUM SKUMINUM TISZKIEWICIUM, PALATINAM TROCENSEM. CUM BARBARAE NARUSZEWICIAE, CONJUGI CARISSIMAE, JUSTA PERSOLVERET.

P4_30

Si tibi pollicitum numen, si fata fuissent,
aeternos fore conjugis annos ;
jare per assiduos, procerum fortissime, fletus

ereptam quererere, Janussi.
Quem pietas, quem non moveat non tristibus umquam
arx animi concussa procellis,
et pudor et proni niveo de pectore sensus,
et regina modestia morum,
aut bona sedulitas, aut non incauta futuri
praesagae solertia mentis ?
Provida sed longum magnis virtutibus aevum
non audent promittere fata :
nec possunt, si quae maturavere, profanis
astra diu committere terris.
Nunc adeo parces, longis onerare querelis
depositum repetentia magnum,
ingentes animi gazas et robur et aureo
incoctum bene pectus honesto.
Sic Tanaquil, sic quae cunctantem Claudia rexit
virginea cervice Cybeben,
quaeque maritali successit Thessala fato,
et Latiis vaga Cloelia ripis,
ante diem raptae vivunt post funera vatum
perpetuos in carmine fastos.
Illa quidem non, si surdos ad carmina manes
Orphea testudine vincam,
eductas adamante fores et aenea rumpat
Elysii pomoeria muri,
reddaturque tibi. Stat nulli janua voto,
nullis exorata poetis.
Sunt tamen exiles insigni in limine rimae,
qua possint arcana videri.
Hac ego, si nullos fallunt insomnia manes,
aut vidi aut vidisse putavi
errantem campo in magno, quem gemmea circum
perspicuis stant moenia portis.
Auro prata virent : arbor crinitur in aurum,
crispantur violaria gemmis,
quae nec Apelleus liquor, nec pulchra trigoni
assimulent mendacia vitri.
Centum ibi formosis in vallibus heroinae
aeternum paeana frequentant.
Stant virides campo stellae, madidisque corusca
connivent sibi sidera flammis.
Illa inter medias parvo comitata nepote
et roseo vivacior ore,
ibat ovans, grandemque sibi, grandemque nepoti
nectebat de flore coronam.
Caetera me vetuit magni caligo sereni
mortali percurrere visu :
nec tu plura velis. Satis est, cui fata dederunt
aeternis mutasse caduca.

XXXI. AD PHILIDIUM MARABOTINUM.

P4_31
Vides, ut altum fluminis otium
rerum quieta ludit imagine,
solemque lunamque et sereno
picta refert simulacra caelo.
Talem severae lege modestiae

compone mentem : seu caput horridis
fortuna circumsultat undis,
seu placida tibi mulcet aura.
Innube semper rideat aureo
pectus sereno : quo melius sacros
deique naturaeque vultus
non dubiis imitetur umbris.
Pulchrum est, quieta mente volatili
instare vero, nec trepido gradu
urgere naturam, nec inter
ambiguas fluitare causas :
sed mente fixa ducere liquidos
rerum colores, et capitis sacra
ab arce prospectare verum, et
fixa suis sua rebus ora.
Frustra protervis frena damus feris,
si nulla nostrae frena proterviae
aptamus. Excussere caelo
non vacui Phaethonta freno,
sed lege, currus. Qui refugit, sui
rex esse, regni nesciet exteri :
quicumque dat sibi, regendo
ille potest dare jura mundo.
Ut mentis almo cuncta premas sinu,
ipsum severis te preme legibus :
sic tu probis sollers minister
consiliis, ego fidus auctor.

## XXXII. AD ALBERTUM TURSCIUM.

P4_32

Tursci, seu brevior mihi,
seu pernox oculos composuit sopor,
pennas somnia levibus
affigunt humeris ; jamque virentia
laetus prata supervolo,
qua se cumque novum molle tumentibus
campis explicuit nemus,
herbosaeque patet scaena superbiae.
Mox et nubibus altior,
mixtus flumineis ales oloribus,
vivos despicio lacus,
et dulci volucrem carmine mentior.
Jam tunc nubila, jam mihi
blandis dissiliunt fulmina cantibus :
et, quae plurima circuit
collum, punicea vincior iride.
Idem jam vigil et meus,
non ingrata simul somnia dispuli,
cum ter mobilibus lyram
percussi digitis, immemor, et ducis
nil sectator Horatii,
sublimis liquidum nitor in aera :
et nunc litora, nunc vagas
siccis trajiciens passibus insulas,
nil mortale mei gero, et
jam nil sollicito debeo ponderi.
Tursci, saepe tamen mones,

olim ne, veteri clarior Icaro,
veris fabula casibus
mutem Parrhasii nomina Baltici.
Frustra : nam, memor Icari,
addo stultitiae consilium brevi :
nam, seu dormio, me torus ;
seu scribo, stabili sella tenet situ.

## XXXIII. AD D. VIRGINEM MATREM.
CUM IN INCLITA VILNENSI SOCIETATIS JESU ACADEMIA CURRICULO PHILOSOPHIAE FINEM IMPONERET, SCHOLASTICAM PRAELECTURUS THEOLOGIAM.

P4_33
Et jam quietis ancora puppibus
litus momordit. Solvite carbasa ;
proramque malumque et virenti
remigium religate lauru.
O cui frequenti plurima supplicat
Stagira portu ; si tibi consona
respondet ex omni juventus
turre, Palaemoniique flammis
risere montes ; si tibi pervigil
deproeliantum exercitus ignium
hinc pugnat atque hinc, atque aena
pulvereo tonat ore moles ;
emancipatis adde clientibus
gratam laborum, nec vacuam tui,
o Virgo, pubem ; sive castris,
sive tibi famuletur aris.

## XXXIV. AD QUINTUM TIBERINUM.

P4_34
Divitem numquam, Tiberine, dices,
cujus Eois potiora glebis
rura, fortunae sine faece, pulcher
rivus inaurat ;
quem per insignes geniale ceras
stemma claravit ; vaga quem per urbes,
quem per et gentes radiante vexit
gloria curru.
Pauper est, qui se caret ; et superbe
ipse se librans, sua rura latam
addit in lancem, socioque fallens
pondus in auro.
Ceteris parvus, sibi magnus uni,
ipse se nescit, pretioque falsae
plebis attollit, propriaque se mi-
-ratur in umbra.
Splendidam vera sine luce gazam,
turgidum plena sine laude nomen
mitte : te solo, Tiberine, disces
esse beatus.

## XXXV, AD PAULLUM COSLOVIUM.

P4_35

Jam pridem tepido veris anhelitu
afflarunt reduces arva Favonii :
jam se florida vernis
pingunt prata coloribus.
Stratus frugiferis Vilia puppibus
grato praeterabit rura silentio,
quamvis proximus omni
collis personet alite ;
quamvis et viridi pastor ab aggere
dicat graminea carmina fistula,
et qui navita debet
plenis otia carbasis.
Aequas Palladiis, Paulle, laboribus
interpone vices. Cras, simul aureo
sol arriserit ore
summorum juga montium,
scandemus viridis terga Luciscii,
qua celsa tegitur plurimus ilice,
et se praetereuntum
audit murmura fontium.
Illinc e medio tota videbitur
nobis Vilna jugo, tota videbitur,
quae Vilnam sinuosis
ambit Vilia flexibus.
Illinc picta procul quae radiantibus
fulgent fana tholis, et geminam super
despectabimus arcem,
magni regna Palaemonis.
Ut longo faciles pacis in otio
se tollunt populi ! Nam tria tertio
surrexere sub anno
priscis templa Quiritibus :
et qua conspicuis se Gediminia
lactant saxa jugis, et Capitolium,
et quae tecta superbis
intrant nubila turribus.
Auget magna quies : exiguus labor
in majus modico provenit otio.
Hinc et terga virentum
late prospice collium.
Quae nunc mobilibus nutat Etesiis,
segni cana stetit sub nive populus ;
qui nunc defluit, alta
haesit sub glacie latex :
qui nunc purpureis floret ager rosis,
immoto sterilis delituit gelu :
verno quae strepit ales,
hiberno tacuit die.
Ergo rumpe moras, et solidum gravi
curae deme diem, quem tibi candidus
spondet vesper, et albis
cras Horae revehent equis.

## XXXVI. AD EQUITES POLONOS ET LITHUANOS.
## AMPHION, SEU CIVITAS BENE ORDINATA.

P4_36

Exteros mores prohibete pulchra
lege, Thebani : patriasque leges
et pios ritus, et avita natos
sacra docete.
Templa Fas sanctum, fora lustret Aequum ;
Veritas et Pax et Amor per omnes
ambulet vicos : scelus omne casta
exsulet urbe.
Nullus est murus sceleri. Per altas
urbium turres triplicesque portas
poena perrupit. Vigilant in omnes
fulmina culpas.
Concolor vero dolus, et superba
exsulet regni sitis, et cupido
desidis lucri, tacitoque segnis
copia luxu.
Publicos discat geminare census
saeva paupertas : et in arma ferrum
sit satis. Rapto male pugnat olim
miles in auro.
Sive res bellis agitanda, sive
pace, collatas sociate vires.
Alta centenis melius recumbunt
templa columnis :
inter errantem scopulos carinam
certius plures docuere stellae :
fortius proram gemino revincit
ancora morsu.
Gliscit aeterno sociale nexu
robur. Arcanas opulentiorum
ira per rixas agitata magnas
eruit urbes.
Haec ubi, dulci modulante nervo,
dixit Amphion, ter eunte fluctu
substitit Dirce, ter opaca movit
terga Cithaeron.
Saxa repserant scopulique circum
devio campos petiere saltu,
et nemus pronusque silex ab alto
monte cucurrit.
At simul vates tacuit, per omnem
barbarae rupes coiere murum, et
septies clausae steterunt aeno
cardine Thebae.

## XXXVII. AD JOA. PALMIUM,
## EX IOA. COCHANOVII, POETARUM POLONORUM PRINCIPIS, LIB. II. OD. XX. CUM REGNI POLONIARUM ORDINES, POSITIS AD VISTULAM CASTRIS, STEPHANUM I REGEM POLONIAE DICERENT.

P4_37

Palmi, futuri regis inutiles
omitte curas. Dudum adamantino
cui fata subscripsere libro

Sarmatici diadema regni,
non Auster illum, non Boreae domus,
non limen Euri, non Zephyri dabit.
Rex est, Poloni, quem potenti
rex superum jubet esse voto.
Hic ipse (quamquam se propior daret
in regna princeps) miserat extero
a sole regem, qui relicta
vela retro cito ferret aula.
Quo vana pulchrae nomina gloriae ?
Quo pictus auro miles, et incliti
cessere Gascones ? Inani
spes tumidae crepuere vento.
Fortuna naves, et dubias agit
fortuna pugnas. Haec popularibus
utcumque se miscet catervis,
ambigui regit ora vulgi.
Absiste verbis. Nos medio procul
campo coronam figimus ardua
in rupe. Rex esto, priore
quisquis emet sibi regna cursu.

## XXXVIII. AD LIBERTATEM.
## CUM VLADISLAUS IV MAXIMIS AD VISTULAM COMITIIS REX POLONIAE RENUNTIARETUR.

P4_38

Nam quae revisas limina dulcius
Mavortiarum maxima gentium,
regina Libertas, Polono
orbe magis Litavisque campis ?
O providentis filia consili,
o faustitatis mater, et otii
beata nutrix, o Polonae
primus honos columenque gentis,
quaesita multo sanguine gloria,
reperta multo ! Regibus altior,
ipsaque majestate major,
et patriae melior magistra
felicitatis ! Leniter attrahe
frenos, et ima nube super levem
suspende currum ; qua refusus
Vistuleas tibi propter undas
hinc Lechus, atque hinc Litavus aureis
collucet armis, qua tibi civium
tranquilla tempestas ovantes
implet agros, prohibetque tota
late videri. Non tibi sedimus
servile vulgus : sed genus incliti
Mavortis, aeternus deorum
sanguis, Hyperboreoque clari
ab usque Lecho, legibus additum
optare regem : fallere nescii
quemquam, nec invidere nati,
extera nec metuisse sceptra,
suoque magni. Publica clarius
virtus per omnes emicuit gradus,
cum magna Libertatis umbra

sceptra simul populumque texit.
Tunc non coactis nobile viribus
omne obsoleto vitat in otio
latere robur : tunc aperto
ingenium volat omne campo,
ad usque palmam : tunc faciles, neque
duri Quirites conspicuo palam
parere regi, per cruentum
laudis iter sequimur volentem,
quacumque ducit. Sic gelidum caput
ausi nivalis scandere Carpathi :
Haemique victores nigrum cal-
-cavimus Haemoniaeque collum.
Sic Thracis olim litora Bospori,
sparsumque late terruimus Geten,
Baltimque inaudacemque Cimbrum ;
et spoliis Asiae superbos
numquam otiosi vincere Teutones,
metas Poloni fiximus imperi, et
ternam Boleslai columnam
triplice protulimus tropaeo.
Praeter triumphis vecta Borysthenem
Volgamque pubes, belligeri super
aras Alexandri, et Laponi
caeruleas Aquilonis arces.
Scit laevus Ister ; scit, vitreis ubi
jungit Bootes aequora pontibus,
fractoque jam Maeotis arcu
Sarmatici mala longa belli.
Quo rege terris pulchra parentium
exempla nati reddimus ? Annue,
o pulchra Libertas, et orbis
consilio trepidisque regum
obsessa votis, dulce supercili
remitte pondus. Quem tibi Maximus
Urbanus, Augustusque grata
congeminat vice Ferdinandus ;
pro quo perorat mundus, et ipsa quem
gaudes rogari : regnet ab ultimo
primus Sigismundo, et vetusto
proximus a Jagelone sanguis.
Ut nulla possunt fallere praescios
futura vates ! O hominum salus,
o cura, Ladislae, divum,
Lechiacae dominator orae,
salve ! Secundis te Lechici patres
et Martiorum castra Quiritium
Regem salutavere votis :
"Jam galeis tibi nutat omnis
hastisque pultes : jam resonabiles
campi jocosa vocis imagine
collesque certatim, et profundae
plausibus intonuere silvae.
Ter visus omni se pater Histula
movisse ripa ; ter tibi frondeam
flexisse cervicem, et reclini
Carpathus attremuisse pinu.
Qualem peracto saecula te retro

debent Novembri ! Jam tibi gloria
bellique maturus cupido
non humiles stimulavit iras :
quamquam recentis mulcet amoenior
caligo regni. Quantus in impium
assurgis, absentemque vincis
consiliis animisque Moscum !
Qualis minaci praefuris impetu,
et quantus irae ! Sive acie levi
campos inundare, et repenti
moenia terrificare bello ;
deliberato seu calor incidat
pugnare ferro. Sic Jagelonidae
ab hoste laudari cruenta
et metui peperere dextra.
Sic, dum priores aequat avos pater,
egit timeri fortis, et improbam
mulctavit exhausitque factis
invidiam, sobolique tantum
majora liquit. Tu gemino potes
avi patrisque nomine duplicem
miscere laudem : sive pacis,
sive gravis per acuta belli,
cum laeta poscent, consilii celer ;
cum maesta rerum, strenuus ingeni, et
immotus innixusque semper
ipse tibi, patiensque curae,
rerum sub alto pondere rectior
majorque stabis. Sic tibi Sarmatae,
sic fata juravere, toto
sic superi statuere caeli.

***********************